PA 6716
.L5
Copy 1

LIBRARY OF CONGRESS.
[SMITHSONIAN DEPOSIT.]
Chap. PA6716
Shelf .L5
UNITED STATES OF AMERICA.

DE
DOCTRINA TACITI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

P. NARCISSUS LIEBERT,

O. S. B.

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

1868.

PA6716
.L5

ABBATI REVERENDISSIMO

RAPHAELI MERTL

EGREGIO LITTERARUM FAUTORI

LUDOVICO URLICHS

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I.

Qua doctrina exstructus rerum scriptoris munus susceperit Tacitus.

Ad scriptorem aliquem probe intellegendum eiusque ingenium iuste aestimandum multum certe utilitatis capiemus, si illam quam a puero ingressus erat doctrinae viam usque ad finem diligenter examinaverimus. Ita et quid in sermone suo novaverit et quid in sententiis paulatim correxerit, facilius perspiciemus. Quod cum in omnibus valet auctoribus, tum in rerum scriptore, cuius iudicium assiduis studiis in dies acui, orationem exercitatione continua magis expressam fieri oportet. In Tacito vero iudicando, qui multos annos in publicis negotiis versatus posteriore tantum vitae parte ad res memoriae prodendas incubuerit, in primis rationem illius quaestionis habendam esse nullum puto latere hominem litteratum.

Multi igitur viri docti, cum egregiam illam rerum scriptoris speciem, qualem in annalibus agnoscimus, semel perfectam animo sibi finxissent, in eo peccaverunt quod una atque eadem regula in excutiendis Taciti scriptis utebantur. Unde factum est, ut et in textus recensione saepe numero plus suo arbitrio quam ingenio auctoris tribuerint et de ipsis rebus plerumque iniquum iudicium fecerint. Quem ad modum

autem Taciti sermo subinde mutatus sit, nemo *Woelfflinio*[1]) accuratius demonstravit. Sic etiam res quas ille nobis tradit non recte videntur posse existimari, nisi ea mente in eas inquirimus, ut singulos libros alium post alium natos esse memoria semper retineamus.

Sed quamvis iucundum atque utile sit, quantum Tacitus rerum scriptor deinceps profecerit singulatim pertractare, tamen, cum quaestionis termini artius sint nobis circumscribendi, de illa tantum *doctrina, quam praeter rerum sua aetate gestarum memoriam praecipue in excursibus exhibeat,* pro virili parte disseremus. Iis igitur quos nunc vocamus excursibus, quibus agit de terris moribus institutis superstitionibus exterarum nationum, de Romae veteris re publica religionibus locis, de aliis huius modi rebus, quanta vis et fides impertienda sit, et superiorum et nostrorum temporum viri eruditi multum inter se discrepant.

Cui quaestioni mea quidem sententia lux addi non poterit antea quam *totam auctoris nostri doctrinae viam vitamque*

---

[1]) „Jahresbericht über Tacitus" in *Philolog.* XXV. p. 92—134. XXVI. p. 92—166. Merito reprehendit illud vitium „dass man den historischen Stil des Tacitus als ein Ganzes, Festes, von Anfang bis zu Ende Constantes, nicht als einen werdenden, sich entwickelnden auffasst" (XXV. p. 95.). Proposuit sibi „zu zeigen, dass in dem Stile des Tacitus nicht nur das Individuelle von dem der Zeit Angehörigen zu scheiden ist, sondern dass das erstere Element in den früheren Schriften noch weniger zur Geltung gelangt, sich im weiteren Verlauf des Schreibens stärkt, und dass schliesslich Tacitus in den Annalen wir wollen nicht sagen am besten schreibt, aber eben erst recht der wahre Tacitus ist". Simul confisus est „dass das Princip der stilistischen Genesis, innerhalb der historischen Bücher nachgewiesen, rückwärts auf den Dialogus übertragen die Zweifel über die Autorschaft des Tacitus nicht unbedeutend vermindern, und dass es ihm gelingen werde, neben der allerdings grossen Verschiedenheit zwischen dem Dialogus und den historischen Schriften auch die trotz einem zwanzigjährigen Zwischenraume doch nicht ganz zerrissenen Fäden zu verfolgen, welche den Dialogus wenigstens mit den ersten historischen Schriften verknüpfen". (Ib. p. 96 sq.)

publicam usque ad illud tempus, quo historiae scribendae operam dare coeperit, persecuti simus, deinde *ipsos libros*, *ut alius alium excepit, inter se comparaverimus.* Tali modo nobis continget, ut veram Taciti doctrinae imaginem adumbremus.

Vitam nostri scriptoris, cuius narrandae fontes partim ex ipsius libris, partim e Plinii minoris epistolis rari tardique fluunt, cum alii viri docti [2]) iam diligentissime composuerint, hoc labore supersedere posse mihi videor. In universum igitur eos secutus, breviter tantum ubi dissentiam hic indicabo, rationes in annotationibus afferam.

Cornelium Tacitum equitem Romanum, quem Belgicae Galliae rationes procurantem laudat Plinius [3]), nostri auctoris patrem fuisse credibile est neque ullo argumento satis firmo negari potest.

Id si recte suspicati sumus, altera nostra opinio, Tacitum anno 54. p. Chr. natum esse, non imbecillo adminiculo magis etiam fulcitur [4]).

---

[2]) Cf. prooem. *F. Ritteri* ante edition. 1848; commentationem de Corn. Taciti vita, ingenio, scriptis *Frid. Haasii* ante ed. 1850; *Nipperdeii* „Einleitung" ante annalium edit. 1864; *Teuffelii* „Abhdlg. über Sallustius und Tacitus." Tübingen 1868. 4. p. 22 sqq.

[3]) N. H. VII, 76. Temporis ratio cum nostra sententia optime conciliari potest, ut iam monuit *Urlichsius* „Chrestom. Plin." p. 50: „In der kaiserlichen Provinz Gallia Belgica, dem nördlichen Gallien, hatten die aus dem Ritterstande genommenen procuratores die Stelle der Quaestoren, und für die gesammte Finanzverwaltung zu sorgen. Pl. lernte jenen Corn. Tacitus während seines Aufenthaltes in Gallien und Germanien, *vor 52 n. Chr.*, kennen. Es ist also nicht unmöglich, dass er der Vater jenes Geschichtschreibers war." Cf. *Haasium* l. l. p. VI. Suo iure *Ritterus* l. l. p. IX. Lipsio mirum errorem exprobravit, quod Plinii Tacitum pro rerum scriptore habuerit. En ipsa Lipsii verba: „Initium dignitatis illi sub Vespasiano fuit, a quo, Plinio auctore, procurator datus Galliae Belgicae, rationes principis administravit".

[4]) *Haasius* l. l. p. V sq. VIII sq. Tacitum anno 58. p. Chr. natum esse probare conatur, et ipse *Wölfflinius*, cum quando Agricolam ediderit quadragenarium fere fuisse Tacitum opinatur, idem sentire videtur

Quoniam ipso genere ad magistratus capessendos destinatus erat, dubitare non possumus, quin omnis eius educatio eo spectaverit, ut quam aptissimus ad rem publicam administrandam evaderet. Proinde rhetoricae eruditionis iter, qualis illa aetate in usu erat atque ex Quintiliani institutione oratoria hodie quoque cognosci potest, gradibus percurrere debebat. Qua in re eo minus a vero aberrare mihi videor, quod ipsum Quintilianum Taciti magistrum fuisse non solum suspicor [5]), verum etiam comparatione inter dialogum et Quintiliani librum accurate instituta pro certo affirmo. Hanc sententiam infra prolixius probabo: hic

---

(Philol. XXV. p. 97.). Neque vero Haasii argumenta mihi persuaserunt. Etenim cum universa quaestio pendeat ab his verbis recte explicandis: „dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim“ (Hist. I, 1.): quaeritur, quae fuerit illa dignitas? vigintiviratus an quaestura? Bene igitur *Nipperdeius* l. l. p. IV. disceptavit: „Hier kann man nicht an den tribunatus militum, den vigintiviratus und ein sacerdotium als den ersten und zweiten Schritt denken: denn jene beiden waren zu gering und gewöhnlich, als dass ein Consular sie als seine erste Rangstufe bezeichnet hätte; sie erhoben nicht über den Ritterstand, und nur die Senatorenwürde begründete eine wirkliche Erhebung: ein sacerdotium aber wurde wiederum einem homo novus, wie Tacitus es war, gewiss nicht vor dem Eintritt in den Senat gewährt“. Sed maius etiam argumentum accedit, si Tacitus illius Belgicae procuratoris filius erat. Namque procuratores inde ab Augusto in provincias mitti solebant equites senatorio censu sive illustres, e quorum filiis tamquam seminario senatus legebatur. Sic in Agr. 5. legimus: „Gnaeus Iulius Agricola . . . utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae *equestris* nobilitas est. Pater Iulius Graecinus *senatorii* ordinis. . . .“ Dignitas igitur nostro loco alia ac *senatoria* intellegi non potest; atque haec a primo *quaesturae* gradu inchoabatur. Denique ipsius Agricolae exemplum afferre licebit. Postquam enim Tacitus eum prima castrorum rudimenta in Britannia tribunum militum approbavisse narravit (c. 5.), proximo c. 6. ita pergit: „Hinc *ad capessendos magistratus* in urbem digressus Domitiam Decidianam . . . sibi iunxit . . . sors *quaesturae* provinciam Asiam . . . dedit“.

[5]) *Haasius* l. l. p. VII; *Nipperdeius* l. l. p. V.

praeter extrema institutionis supra commemoratae lineamenta eorum tantum mentionem faciam praeceptorum, quibus et sermonis et historicae doctrinae Taciti quasi fundamenta iaciebantur.

Praescribit igitur Quintilianus, ut puer a teneris Latine Graeceque pariter loqui discat (I, 1, 12 sqq.), deinde in grammatici scholam missus una grammaticam (I, 4—9.), geometriam, musicam (I, 10.) doceatur. Neque iam Tacitum probe Vergilium novisse mirabimur, si audierimus „optime institutum esse, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet“ (I, 8, 5.). Postquam ad eas in studiis vires pervenerat puer, ut, quae prima sunt rhetorum praecepta, mente consequi posset, eloquentiae praeceptori tradebatur (II, 1 sqq.), a quo variis progymnasmatis exercitus (II, 4 sqq.) ipsis denique artis rhetoricae praeceptis instituebatur (II, 11—XI, 3.). Ac memoratu dignum fuerit, quo modo Quintilianus proprietates ingeniorum dispexerit; namque alium historiae magis idoneum esse, alium compositum ad carmen, alium utilem studio iuris, nonnullos rus fortasse mittendos: verum ei, qui foro destinatus sit, ut erat Tacitus, non in unam partem aliquam sed in omnia quae sint eius operis, etiam si qua difficiliora videantur discenti, elaborandum esse (II, 8, 6 sqq.). Ut largam verborum copiam nactus dicendi scribendique facultatem sibi acquireret, iam adolescentulus Tacitus a praeceptore suo monebatur, ut et Graecos et Romanos poetas rerum scriptores oratores philosophos manu volveret (X, 1.); eiusque scripta documento sunt, quam recte perceperit ex auctoribus lectione dignis et verborum sumendam copiam esse et varietatem figurarum et componendi rationem, tum ad exemplum virtutum omnium mentem dirigendam; neque enim dubitari posse, quin artis pars magna contineatur imitatione; nam ut invenire primum fuerit sitque praecipuum: sic ea, quae bene inventa sint, utile esse sequi (X, 2, 1.). Nec profecto facile contentus erat oratoris scientia Quintilianus: mores ante omnia oratori studiis esse excolendos

atque omnis honesti iustique disciplinam pertractandam, sine qua neminem nec virum bonum esse nec dicendi peritum posse (XII, 2, 1.). Debebat igitur discipulus omnia philosophorum praecepta cognoscere, non ut in cuiusquam leges iuraret sed optima quaeque in suum usum converteret; neque enim licere aut naturalem aut moralem aut rationalem philosophiae partem ab oratore esse alienam (XII, 2.). Iuris quoque civilis et morum ac religionum rei publicae scientia ab eo exigebatur (XII, 3, 1.) [6]). Denique animadvertendum esse puto, quam saepe Quintilianus futurum oratorem hortetur, ut historias legat (II, 5, 1; X, 1, 31; XII, 2, 29 sqq.; XII, 4.).

Tacitum autem serio operam dedisse, ut quae in schola didicisset, in communem civium salutem adhiberet, ex eo colligere licet, quod mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili M. Aprum et Iulium Secundum, celeberrima tum fori ingenia, et domi et in publico adsectabatur [7]), Curiatii quoque Materni et Vipstani Messalae consuetudine utebatur, iam adolescentulus teste Plinio [8]) fama gloriaque florebat.

Ad quos primos rei publicae honores ascenderit, nihil certi asseverari potest [9]); sed tamen aliquod vigintiviratus

---

[6]) Cf. Hist. I, 1, ubi Tacitus suorum temporum rerum scriptoribus inscitiam rei publicae ut alienae exprobrat.

[7]) Dial. 2.

[8]) Epp. VII, 20. Quamdiu Tacitus apud centumviros, quae una fere occasio eloquentiae exhibendae tum dabatur, patroni accusatorisve partes tuitus sit, haud scio an possimus concludere ex Plin. Epp. I, 23, ubi Pompeio Falconi an in tribunatu causas agere deceat consulenti respondet, se ipsum tribunum hoc iam non fecisse, quod potestati sacrosanctae hoc non convenire arbitratus sit.

[9]) *Haasius* l. l. p. IX. haud improbabile esse dicit, Tacitum tribunum militum cum socero futuro in Aquitania versatum esse contubernio eius adscriptum. Sed titubasse mihi videtur vir doctissimus; etenim in Aquitania, quantum ex legionum tabulis (cf. *Becker-Marquardt* „Hdbch.

munus ab eo illorum temporum more gestum esse consentaneum est.

Firmioribus iam rationibus ea opinio nititur, eum anno 79. p. Chr. quaestorem, deinde anno 81. p. Chr. aedilem aut tribunum plebis fuisse. Tum Domitiano imperante, ut annales testantur (XI, 11.), quindecimvirorum collegio adscriptus [10]) simul praeturam anno 88. p. Chr. administravit [11]). Praetura functus per quadriennium Roma afuit (Agr. 45.) aut legatus legionis aut, si id munus iam ante praeturam subierat (cf. Ann. II, 36.), legatus pro praetore in provinciam ab imperatore missus (Nipperd. l. l. p. VI; cf. Haas. l. l. p. X.). A funesta Domitiani dominatione, quod quae mutare non posset silentio ac patientia tolerabat, salvus incolumisque permansit (Agr. 2. 3.) [12]). Deinde a Nerva anno 97. p. Chr.

---

d. Röm. Alterthümer" III, 2, 350 sqq.) scimus, numquam illis temporibus legiones locatae fuerunt; atque ipsis Taciti verbis (Agr. 9.) credere cogimur nihil Agricolae nisi administrationem provinciae Aquitaniae iniunctum fuisse.

[10]) Omnes fere illustres viri in magistratibus versati per litteras sive tabellas imperatoris sacerdotum collegiis ut cooptarentur commendari solebant.

[11]) Intervallum, quod inter aedilitatem aut tribunatum et praeturam intercessit, fortasse dubitationem excitaverit et *Haasio* (l. l. p. IX sq.) ansam praebuerit, ut Tacitum anno 58. p. Chr. natum esse recte iudicaverit. Sed quamquam ordine honorum accurate servato triginta anni in eo qui praeturam capesseret requirebantur, tamen non necesse erat suo quemque anno magistratum administrari. Sic Septimium Severum altero et tricesimo aetatis anno ad praeturam accessisse compertum habemus. Denique ipse Tacitus anno 97. p. Chr. demum ad consulatum pervenit, quem per aetatem certe maturius consequi potuerat.

[12]) Iniquum esse nec cum Taciti moribus conciliari posse mihi videtur iudicium *Teuffelii:* „Bald nach Agricolas Tode scheint er nach Rom zurückgekehrt zu sein, da er Agr. 45. sich einer gewissen Mitschuld an dem Tode des jüngern Helvidius, welcher 93—94 n. Chr. erfolgte, anklagt (mox — nach Agricolas Tode — nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine

in locum Verginii Rufi consul suffectus hunc pro rostris eloquentissime laudavit (Plin. Epp. II, 1.). Ab anno 100. p. Chr., quo una cum Plinio consule designato Afrorum causam contra Marium Priscum pro consule senatus iussu defendit, nulla iam de reliqua eius vita mentio inicitur, fortasse propterea quod in privatae vitae otium se recepit ut totum litteris se daret et historiis scribendis operam navaret; sed non satis liquet (cf. Haas. l. l. p. XI sqq.).

In nullo litterarum genere Romani pro sua natura, qua rerum usum maxime spectabant, maiore studio versati sunt, in nullo felicius profecerunt quam in eloquentia et historia. Gratulari igitur nobis debemus, quod Tacitus, cuius indoles omnis Romanam ingenue naturam profitebatur, haec duo studiorum genera amplexus ut ita dicam alteram vitae partem eloquentiae, alteram historiae tribuerit. Nec minore fortuna factum est, ut geminum hoc Taciti studium ex libris nobis servatis demonstrare et iudicare possimus. Cum enim in scriptis alterius vitae partis, praecipue historiis et annalibus, rerum scriptorem invenimus, de amplissima oratoris doctrina, quam a puero sibi comparaverat, dialogo certiores reddimur.

Quaestionem de dialogi auctore denuo recoquere non placet, quod cum *Weinkauffii* lucubrationibus („Progr. des Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums zu Cöln 1857 et 1859") tum subtili *Woelfflinii* opera semel probatum est nullum alium auctorem esse quam Tacitum [13]).

Senecio perfudit), so dass die zwingende Macht der Umstände ihn über die Grenze stummer Resignation noch hinausgetrieben zu haben scheint". (*Pauly* „Real-Encyclop." vol. VI. p. 1569.). Equidem cogitare non possum Tacitum tanto opere sui oblitum umquam esse, ut foedissimae dominationis tamquam instrumentum sese praeberet. Tum vero locus supra laudatus nihil probat, quod color eius manifesto oratorius aliam interpretationem non modo permittit, verum etiam flagitat.

[13]) *Classenius* („Einige Bemerkungen über den dialogus de oratoribus" *Eos* I. p. 6 sqq.) ingeniose monet „wie sehr die Art und Weise,

Multo difficilius est constituere, quando dialogus compositus sit. *Ritterus* enim (l. l. p. X sqq.) iam Tito imperante eum editum esse arbitratur; contra *Haasius* (l. l. p. XIV.) probabile esse ducit dialogum scriptum esse sub finem imperii Domitiani, ut exiguo intervallo distet liber de Agricola editus; *Nipperdeius* autem (l. l. p. VIII sq.) circa idem fere tempus quo Agricolam et Germaniam dialogum quoque editum esse existimat; *Hübnerus* vero („zu Tacitus Agricola" *Hermes* I p. 438—448.) Agricolam et Germaniam dialogo putat praecessisse [14]). Haasius igitur, cum nostrum scriptorem anno 58. p. Chr. demum esse natum dicat, non mirum quod Ritteri sententiam reiciat; nam magis absolutum certe artificium est dialogus, quam ut perfici potuerit ab adolescente duorum et viginti annorum; et ipsi consentimus cum Haasio, qui infirmum admodum argumentum appellat (l. l. p. XIV. annot. 59.), quod ex iuvenilis aetatis abundantia et immaturitate sumere voluit Ritterus. Neque vero minus infirmum est illud Nipperdeii: „Vor Domitian kann er nicht geschrieben sein, da sich Tacitus für die Zeit, in welche er die Unterredung setzt, 75 n. Chr., c. 1 als *iuvenis admodum* bezeichnet: so spricht aber Niemand von sich, der erst sieben oder acht Jahre älter geworden ist." Etenim si anno 54.

---

in der einige bedeutende in dem Dialog auftretende oder darin erwähnte Persönlichkeiten uns vorgeführt werden, mit dem Tone und Urtheil übereinstimmt, mit welchen Tacitus dieselben in seinen Geschichtsbüchern charakterisirt". Qua sententia in Vipstano Messala, Eprio Marcello, Vibio Crispo demonstrata idem lucratur, quod Weinkauffius et Wölfflinius ex sermonis natura enucleaverunt.

[14]) Quo modo qui ita iudicaverit, dialogum tamquam „stilistisches Glaubensbekenntniss" (p. 447.) accipere possit, equidem prorsus nequeo intellegere. — *Teuffelius* „Abhdlg. über Sallustius und Tacitus" p. 26: „Der Freimut, welcher in der Schrift bewiesen ist spricht für die Abfassung unter einem milden Regenten, etwa unter Titus, J. 81, oder in der letzten Regierungszeit Vespasian's, *spätestens in den ersten (guten) Jahren des Domitian*".

p. Chr., ut ipse Nipperdeius opinatur, natus est Tacitus, non invenio cur *iuvenis* viginti septem annorum illud tempus, quo tantum viginti annos natus erat, recordatus iuvenem *admodum* se vocare non potuerit. Sed neque Haasius neque Nipperdeius explicuerunt, qua ratione unus scriptor eodem fere tempore duos libros dicendi genere adeo inter se diversos, ut certe sunt dialogus et Agricola, composuerit. Nec tamen haec difficultas, opinor, tam ardua est, ut solvi nequeat, modo haec verba: „memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere" (Agr. 2.) et haec: „pauci et, uti dixerim, non aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus" (ib. 3.) recte intellexeris. Nam Ritterus et Nipperdeius silentium illud ad libros scribendos referunt; unde fit, ut ille dialogum iam ante Domitiani imperium, hic demum post eius mortem editum esse censeat. At veram nisi fallor illorum verborum interpretationem repperit Haasius (l. l. p. XV. annot. 59.): „neque concedimus silentium illud, quod Agr. c. 3. Tacitus commemorat, ad litterarum studia et librorum editionem pertinere; nihil enim aliud in mente habet nisi oppressam senatus libertatem." Proinde nihil iam obstat, quo minus *dialogum priore imperii Domitiani parte scriptum esse* existimemus; nobisque persuasum est Haasium, quod sero Tacitum natum esse posuerat, eo fuisse adductum ut extremis Domitiani annis dialogum putaret compositum. Quod si satis firma est nostra suspicio, et Nipperdeii dubitatio de *iuveni admodum* per se concidit et spatium temporis inter dialogi et Agricolae editionem satis longum lucramur, quo sermonis differentiae intellegi possint, et audacia illa dialogi, quae sub finem imperii Domitiano nimia fortasse visa esset, offensione caret.

Quanta existimatione oratoriam Taciti virtutem aequales prosecuti sint, non pauca exstant documenta. Plinius enim

(Epp. IV, 13.) eum instantissime rogat, ut ex copia studiosorum, quae ad eum ex admiratione ingenii conveniat, circumspiciat praeceptores, e quibus unum cives sui conducant. Deinde idem in epistola ad Maximum suum data (IX, 23.) refert „narrasse Tacitum sedisse secum Circensibus proximis equitem Romanum; hunc post varios eruditosque sermones requisisse: Italicus es an provincialis? se respondisse: nosti me, et quidem ex studiis. Ad hoc illum: Tacitus es an Plinius?“ Denique saepius in testamentis heres scribebatur, cuius rei testimonium habemus in Dasumii testamento („Zeitschr. f. gesch. Rechtswissensch.“ XII. p. 301 sqq.). Tantam autem famam Tacitum non solum iis orationibus adeptum esse, quas ipse publice habuerit, sed etiam iis scriptis, quae tamquam fructus studiorum in lucem ediderit, cum ex aliis Plinii epistolis (VII, 20; VIII, 7.) tum ex illa modo laudata apparet [15]). Sed quoniam nihil praeter dialogum nobis restat, quae in iis contenta fuerint indicari non potest [16]).

---

[15]) *Haasius* l. l. p. XII. annot. 42. multos e Plinio locos affert, quibus studia praecipue oratoria intellegenda esse probatur.

[16]) *Fulgentius* („de abstrusis sermonibus“ p. XXIV. ed. *Lersch.*) librum facetiarum Tacito adscribit, quem a Tacito esse compositum *Haasius* (l. l. p. XIV.) non improbabile arbitratur; atque idem *Wölfflinius* (l. l. p. 97.) sentire videtur. Contra *Hübnerus* (l. l. p. 440.) quidquam quod ad artem rhetoricam spectet Tacitum scripsisse negat, quod aliqua saltem notitia eius rei ex antiquitate ad nos pervenisset; facetiarum librum ad reliqua Fulgentii auctoris mendacissimi incredibilia pertinere. Similiter *Teuffelius* l. l. p. 39. Recte, opinor. Immerito autem *Wölfflinius* ad opinionem suam, Tacitum etiam recitationes edidisse, tuendam laudat Quintil. X, 1,104: „superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intellegitur“. Totius enim loci contextu cogimur ut de aliquo rerum scriptore cogitemus. Sed quamvis grato animo eximiam illam laudem Tacito rerum scriptori vindicari pateremur — ut *Ritterus* (l. l. p. XVI.) eum locum in Tacitum refert — tamen haec quoque sententia omnino reicienda est; nam historiae, cum illa verba scripsit Quintilianus, nondum compositae erant; in Agri-

Quamquam studia Taciti oratoria, qualiacumque fuerunt, praeter unum dialogum interciderunt, tamen ipso hoc libro per se satis confirmatur, *nostrum auctorem Quintiliano rectore,* ut supra monuimus, *perfectam artis rhetoricae doctrinam sibi comparasse* [17]).

Ac primum ut Quintilianus contra suae aetatis eloquentiam dulcibus vitiis fractam, cuius praecipuum propugnatorem Senecam esse iudicat, summis viribus obnititur neque aliter eam nisi repetitis superiorum temporum optimis exemplis emendari posse arbitratur: ita Tacitus novum illud dicendi genus acri studio oppugnat ac suam orationem ad Ciceronis maxime exemplar formare contendit. Inde stili eius cum Quintiliano similitudo explicatur, quae tanta est, ut vel Lipsius [18]) an dialogum Quintiliano tribueret in dubitationem adduceretur. Eundem autem emendatum sermonem etiam apud Plinium minorem agnoscimus. Quem si a Quintiliano institutum esse [19]) sine ulla dubitatione mente retinemus, permulti in epistolis eius loci, quibus intimam cum Tacito amicitiam studiorum aequalitate in primis esse stabilitam apparet [20]), haud scio an nullam aliam conclusionem admittant quam ipsum quoque Tacitum Quintiliani discipulum fuisse.

---

colam vel Germaniam tanta laudis exsuperantia non quadrat. Fortasse Quintilianus Fabium Rusticum respexit (*Nipperd.* l. l. p. XXIII.); sed certum iudicium hac de re ferri nequit.

[17]) *A. Gerberi* commentationem „de Tacito rerum scriptore qualem bonum oratorem requisivit Quintilianus“ Leutschau. 1861. 4. indagare non potui. Wölfflinio teste (l. l. p. 129.) ille exorsus ab opinione veri simili (?) virum saeculorum memoria dignum, quem laudat Quintilianus X, 1, 104, Tacitum esse intellegendum, demonstrare conatur elocutionem Taciti talem esse qualem a bono oratore Quintilianus postulaverit.

[18]) „Stilus ipse plane geminus.“ Antverp. 1648. p. 470.

[19]) *Plin.* Epp. II, 14; VI, 6.

[20]) Ib. I, 6; I, 20; II, 1; IV, 13; VII, 20; VIII, 7; IX, 10 etc.

Verum ut Quintilianus, quamquam auream eloquentiae aetatem meritis laudibus extollit, tamen aequalium oratorum virtutes non neglegit: ita ne Tacitus quidem nimia antiquitatis existimatione movetur, ut de vera suorum temporum gloria naso suspenso detrahat [21]).

Deinde universam eruditionem, qua bonum oratorem imbutum esse vult Quintilianus, eandem Tacitus, cum Messalam loquentem inducit, et ipse requirit [22]). Ad quas autem disciplinas studium oratoris pertinere debeat, Ciceronis exemplo ostendit, scilicet ad ius civile, philosophiam, geometriam, musicam, grammaticam, dialecticam, ethicam, physicam [23]); sunt igitur eaedem, quas, ut iam supra vidimus, etiam Quintilianus in institutione oratoria enumerat.

Tum animadvertendum est, quam accurate et Quintiliani et Taciti de philosophia iudicium congruat. Uterque enim philosophiae non propter se ipsam studendum esse censet, sed quantum ea ad animum oratoris excolendum moresque educandos conferat. Eam sententiam si respexerimus, iam non mirari nos oportet, quod Quintilianus philosophiam tamquam rhetoricae partem vindicat his verbis [24]): „Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam, ut dixi, *partem oratoriae artis,* meliorem praesertim, occupaverunt, et *velut nostrum reposcere;* non ut nos illorum utamur inventis, sed ut *illos alienis usos esse doceamus.*“ Eadem

---

[21]) Dial. 41: „Bono saeculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur.“

[22]) Ib. 30: „Ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit.“ Cf. c. 32.

[23]) Ib. 30. 31.

[24]) *Quintil.* prooem. 17; cf. X, 1, 35.

ratione Tacitus Iulium Graecinum, Agricolae patrem, studio *eloquentiae sapientiaeque* notum fuisse narrat et de ipso Agricola ita pergit: „Memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, *ultra quam concessum Romano ac senatori*, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset ... mox mitigavit ratio et aetas, *retinuitque*, quod est difficillimum, *ex sapientia modum*“ [25]). Oratori necessarium esse putant in omnes sapientium sectas inquirere, non ut unius praecepta omnino sequatur, sed ex omnibus optima quaeque in suam utilitatem convertat [26]). Atque re vera Tacitum diversa philosophorum placita scrutatum esse et nihilo minus de iis, quae ad sapientiam aut religiones aut rem publicam pertineant, liberum sibi iudicium servasse, ex omnibus eius scriptis cognoscimus. Sed eum de divinarum humanarumque rerum natura multum cogitavisse, ut nemo negaverit, ita ad opinionem de difficillimis huiusce modi quaestionibus satis claram non pervenisse concedendum est [27]).

---

[25]) Agr. 4.

[26]) Cf. *Quintil.* X, 1, 81—84; XII, 2, 23—28. cum Dial. 31. „Oratori vero *nihil est necesse in cuiusquam iurare leges . . . exercitatione* quidem utetur *omni*, sed tamen erit plurimus in maximis quibusque ac natura pulcherrimis“. *Quintil.* XII, 2, 26. 27. „Neque enim sapientem informamus neque Stoicorum civem aliquem, sed eum qui *quasdam artes haurire, omnes libare debet.*“ Dial. 31.

[27]) A re non alienum esse videtur, quid summus nostrae aetatis historicus hac in parte de Tacito iudicaverit, iterum hic referre: „Ein so offenes Bekenntniss“ (ut apud Plinium maiorem) „finden wir bei dem grössten der Römischen Geschichtschreiber, bei Tacitus, nicht. Ueber das Wesen der Gottheit hat er sich nicht geäussert. Dass in dem Laufe der menschlichen Begebenheiten irgend eine vergeltende Gerechtigkeit sich kund gebe, läugnet er einmal in bitterer Ironie (Ann. 16, 33), und das Wort am Ende der Germania, „die Fenni seien in ihrer Armuth und ihrem Mangel an Civilisation sicher gegen die Götter“, ist dem gleichen Geiste entsprossen. In der That scheint er sich die Götter, wo nicht als geradezu menschenfeindliche, doch als Römer-feindliche

Deinde nostrum scriptorem Quintiliani adhortationi, ut Graecos Romanosque poetas rerum scriptores oratores philosophos diligenter legendo et verborum copiam augeret et optimum dicendi genus consequeretur, sedulo morem gessisse ex singulis dialogi versibus patet, sive compositionis artem sive orationis elegantiam sive rerum abundantiam recensemus. Quanta litterarum cognitio in eo fuerit, vel levissima consideratione neminem praeteribit, qui solum nomina scriptorum attenderit quorum alii in dialogo tantum commemorantur, de aliis subtile ac venustum iudicium fertur. Sunt autem ex Graecis auctoribus Homerus (Dial. 12.), Sophocles, Euripides (c. 12.), Demosthenes (cc. 12. 15. 16. 25. 32. 37.), Aeschines (cc. 15. 25.), Hyperides (cc. 12. 16. 25.), Lysias (cc. 12. 25.), Plato, Xenophon (c. 31.), Stoici (c. 31.); ex scriptoribus Romanis Vergilius (cc. 12. 13. 20. 23.), Lucretius (c. 23.), Varro (c. 23.), Saleius Bassus (cc. 5. 9.

Wesen gedacht zu haben, so bestimmt und wiederholt redet er von dem Zorne der Götter, der schon seit Sylla und Marius auf den Römern laste (Ann. 4, 1; Hist. 2, 38; 1, 3) und stets neue Frevel und Laster unter ihnen hervorbringe (Ann. 16, 16). An die Leitung der Geschichte durch eine göttliche Vorsehung glaubte er nicht; er war nur ungewiss, „„ob die menschlichen Dinge durch das Schicksal und eine unabänderliche Naturnothwendigkeit oder durch das Ungefähr in Bewegung gesetzt würden““ (Ann. 6, 22). „„Uebrigens““, fügt Tacitus bei, „„lassen die meisten Menschen es sich nicht ausreden, dass gleich bei der Geburt Jeglichem das Kommende bestimmt werde; Manches aber falle anders aus, als vorhergesagt worden, durch unkundiger Weissager Täuschungen. Hiedurch leide die Zuverlässigkeit einer Kunst, von welcher Vergangenheit und Gegenwart unläugbare Proben aufzuweisen habe““. Unverkennbar war er, wenigstens als er diess schrieb, selbst diesem fatalistischen Glauben der Menge zugethan.“ *Döllinger* „Heidenthum und Judenthum“ p. 587 sq. Cf. *Haasium* l. l. p. XXVII — XLII; *Nipperd.* l. l. p. XIII—XIX; *Teuffel.* l. l. p. 40 sqq. Aliorum qui de hac re scripserunt doctorum virorum libri laudantur apud *Pauly* „Real-Encycl.“ VI. p. 1576 sq.; *Teuffel.* l. l. p. 42. et apud *Haasium* l. l. p. XXVI. annot. 109.

10.), Lucanus (c. 20.), Lucilius, Horatius (cc. 20. 23.), Varius, Ovidius (c. 12.), Pacuvius, Accius (cc. 20 sq.), Pomponius Secundus (c. 13.), Servilius Nonianus (c. 23.), Aufidius Bassus (c. 23.), Cicero (cc. 12. 15—18. 20—26. 30. 35. 37—40.), Asinius Pollio (cc. 12. 15. 17. 21. 25. 26. 34. 38.), Messala (cc. 18. 21.), Caesar (cc. 17. 21. 25. 28. 34.), Caelius (cc. 17. 21. 25.), Calvus (cc. 17. 18. 21. 25. 26. 34. 38.), Cassius Severus (cc. 19. 26.), Domitius Afer (c. 13.), Vibius Crispus (cc. 8. 13.), Julius Secundus (cc. 2. 3. 5. 9. 14—16. 33.), Brutus (cc. 17. 18. 21. 25. 38.). Praeter complures auctorum modo nominatorum alios quoque invenimus in historicis libris, velut Domitianum (Hist. IV, 86.), Catullum, Bibaculum (Ann. IV, 34.), Sallustium (Ann. III, 30.), Livium (Agr. 14; Ann. IV, 34.), Trachalum (Hist. I, 90.), Senecam (Ann. XIII, 3. 42; XIV, 52 etc.). Enumeravi autem supra eos tantum scriptores, quos lectione et studio in primis dignos oratori futuro commendat Quintilianus [28]); simul, quo facilius conferre possis, eundem quem Quintilianus ordinem servavi.

Sed memoratu dignum est, quod Taciti de litteris iudicium cum Quintiliano non modo in universum congruit, sed plus una ratione hunc consensum usque ad singula quaeque persequi atque indicare possumus. Sic de Seneca hunc in modum scribit Tacitus: „Postquam ad providentiam sapientiamque flexit“ (Nero), „nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita *multum cultus* praeferret, ut fuit illi viro „*ingenium amoenum* et *temporis eius auribus adcommodatum*“ [29]). „Studiis inertibus et *iuvenum inperitiae suetum livere iis*, *qui vividam et incorruptam eloquentiam* tuendis civibus exercerent“ [30]) (ita accusantem facit P. Suillium). „Obiciebant etiam *eloquentiae laudem uni sibi adsciscere*“ [31]). Cum

---

[28]) *Quintil.* X, 1, 46—125.

[29]) Ann. XIII, 3.

[30]) Ib. c. 42.

[31]) Ib. XIV, 52.

iis locis conferenda sunt haec Quintiliani verba: „Ex industria Senecam . . . distuli propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum . . . sum creditus. quod accidit mihi, dum *corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus* revocare ad severiora iudicia contendo. tum autem *solus hic fere in manibus adolescentium* fuit. quem non equidem omnino conabar excutere sed *potioribus* praeferri non sinebam, *quos ille non destiterat incessere*, cum *diversi sibi conscius generis* placere se in dicendo posse, quibus illi placent, diffideret . . . cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, *ingenium facile et copiosum*, *plurimum studii*, multa rerum cognitio . . . sed in eloquendo *corrupta* pleraque atque eo perniciosissima, quod abundant *dulcibus* vitiis“ [32]).

Tum quid ex quaque philosophorum secta utilitatis orator capere, quid ex singulis philosophiae praeceptoribus depromere atque imitari debeat, rursus eodem modo et Tacitus et Quintilianus indicant. Locos consimiles, quo aptius possint oculis perlustrari, iuxta posuimus:

„Sunt apud quos adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam *dialecticae* proficiet.“

„Alios fusa et aequalis et ex commi-

„Pars *dialecticae*, sive illam dicere malumus *disputatricem*, ut est utilis saepe et finitionibus et comprehensionibus et separandis, quae sunt differentia, et resolvenda ambiguitate distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando: ita, si totum sibi vindicaverit in foro certamen, obstabit melioribus etc.“ [33]).

„*Peripatetici* studio quoque se quodam oratorio iactant. nam theses

---

[32]) *Quintil.* X, 1, 125—129.

[33]) *Quintil.* XII, 2, 13.

nibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a *Peripateticis* aptos et in omnem disputationem paratos iam locos.“	dicere exercitationis gratia fere est ab iis institutum“ [34]).
„Dabunt *Academici* pugnacitatem,	„Altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime *Socratici* praeparant“ [35]). „*Academiam* quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat“ [36]).
Plato altitudinem,	„Philosophorum . . . quis dubitet *Platonem* esse praecipuum sive acumine disserendi sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? Multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant surgit, ut mihi non hominis ingenio sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. Quid ego commemorem *Xenophontis* illam iucunditatem inaffectatam sed quam nulla consequi affectatio possit?“ [38]).
Xenophon iucunditatem“ [37]).	

Deinde quo modo Ciceronis dicendi genus ab aequalibus vituperatum sit, ut intellegas, hos et Taciti et Quintiliani locos inter se velim compares: „Satis constat ne Ciceroni

---

[34]) Ib. XII, 2, 25.
[35]) Ib. X, 1, 35.
[36]) Ib. XII, 2, 25.
[37]) Dial. 31.
[38]) *Quintil.* X, 1, 81. 82.

quidem obtrectatores defuisse, quibus *inflatus et tumens* nec satis pressus, sed *supra modum exultans et superfluens* et parum antiquus videretur. Legistis utique et *Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistulas,* ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam *solutum et enervem,* a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam *fractum atque elumbem*" [39]).

„De compositione non equidem post M. Tullium scribere auderem . . . nisi et eiusdem aetatis homines *scriptis ad ipsum etiam litteris* reprehendere id collocandi genus ausi fuissent" [40]). „Transeo illos, qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt; quanquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit, nec Cicero *Bruto Calvoque,* qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt" [41]). „Quem tamen" (Ciceronem) „et suorum homines temporum incessere audebant ut *tumidiorem* et Asianum et *redundantem* et in repetitionibus nimium et in salibus aliquando frigidum et *in compositione fractum, exultantem* ac paene, quod procul absit, *viro molliorem*" [42]).

Porro inepti sermonis Tulliani imitatores ab utroque pariter denotantur:

„Nolo inridere *rotam Fortunae* et *ius verrinum* et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum *esse videatur.* nam et haec invitus rettuli et plura omisi, *quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores vocant*" [43]).

---

[39]) Dial. 18; cf. c. 32.
[40]) *Quintil.* IX, 4, 1.
[41]) Ib. XII, 1, 22.
[42]) Ib. XII, 10, 12.
[43]) Dial. 23.

„Qui horride atque incomposite quamlibet illud frigidum et inane extulerunt, *antiquis se pares credunt* . . . otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse. noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent *esse videatur*“ [44]).

Tum de Trachalo oratore apud Tacitum haec leguntur: „In rebus urbanis Galeri Trachali ingenio Othonem uti credebatur; et erant qui *genus ipsum orandi* noscerent, crebro fori usu celebre et *ad implendas populi aures latum et sonans*“ [45]).

Atque eandem de illo sententiam reperimus apud Quintilianum: „Et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit et quem velle optima crederes, *auditus tamen maior;* nam et *vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas et pronuntiatio vel scenis suffectura* et decor, omnia denique ei, quae sunt extra, superfuerunt“ [46]). „In iis etiam, quos ipsi vidimus,... *sonum Trachali*“ (reperiemus) [47]).

Denique Quintilianus in fine institutionis oratoriae admonet oratorem, ut antea quam senectutis imbecillitate dicendi facultas et gloria imminuatur, foro discedat [48]). Quod cui egregia illibataque eloquentiae fama cordi sit quanto opere animadverti debeat, Domitii Afri exemplo demonstrat his verbis: „Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, *summum oratorem*, Domitium Afrum *valde senem, cotidie aliquid ex* ea, quam meruerat, *auctoritate perdentem,* cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent; quae occasio fuit dicendi, *malle eum deficere quam desinere.* Neque erant illa qualiacunque mala sed

---

[44]) *Quintil.* X, 2, 17. 18.

[45]) Hist. I, 90.

[46]) *Quintil.* X, 1, 119; cf. XII, 5, 5. 6.

[47]) Ib. XII, 10, 11.

[48]) Ib. XII, 11, 1—5. De Domitio Afro cf. etiam X, 1, 118.

minora. *Quare antequam in has aetatis veniat insidias, receptui canet et in portum integra nave perveniet.*" In privatae vitae otio pro suo quemque ingenio studiorum fructibus delectari posse: „aut ille *monumenta rerum posteris* aut... iura quaerentibus *reddet* aut eloquentiae componet artem aut pulcherrimis vitae praeceptis dignum os dabit".

Ac Taciti de Domitio Afro iudicium cum illo Quintiliani prorsus congruit; scribit enim: „Afer *primoribus oratorum additus*, divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. mox capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod *aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam*" [49]). Ipse autem Tacitus, cum etiam tum summa eloquentiae gloria floreret, consilium illud praeceptoris sui sana moderatione secutus publicae vitae scena relicta in historica studia vires intendit. Atque ea ratio, ut equidem persuasum habeo, eiusdem certe ponderis est atque illa argumenta omnia, quibus viri docti, cur auctor noster a rei publicae muneribus mature in privatum otium se receperit, explicare conati sunt [50]).

Si quis igitur, quae comparatione inter Taciti et Quintiliani libros instituta modo exposuimus, universa meditatus fuerit, iam non, opinor, poterit dubitare, quin Tacitus, ut oratoris civisque officiis recte fungeretur, Quintiliano magistro usus sit. Cuius oratoriae institutionis vim, si diligenter eius vestigia persequimur, in historicorum quoque librorum et compositione et sermone indicare possumus. Ac certa quasi lex videtur esse servata, ut quanto felicius paulatim historiae sonus exprimatur ac perficiatur, tanto magis rhetoricum dicendi genus minuatur atque excidat.

---

[49]) Ann. IV, 52; cf. XIV, 19; Dial. 13.

[50]) Cf. *Haasium* l. l. p. XII.

In minoribus igitur duobus libris, quos antea Tacitus quam relinqueret munera publica composuerat, oratorius color ante oculos positus est. Qua re nuper *Hübnerus* adeo adductus est, ut Agricolam nihil aliud esse arbitraretur quam laudationem funebrem ad libelli formam redactam [51]). Sed quamquam hac in re ultra iustos terminos processisse illum manifestum est [52]), recte tamen et componendi ratione et dicendi arte oratorem prodi monuit; ad illam enim pertinere prooemium (cc. 1—3.) [53]), conclusionem (cc. 45—46.) [54]); ad hanc contraria [55]), pleonasmos, alias rhetoricas figuras, locos communes (cc. 3. 42.) [56]). Tacitus cum de Agricolae vita et moribus librum scribere coepit, tum primum ad res gestas posteris tradendas aggressus historicam orationem omnibus numeris absolutam minime sibi iam praesto esse c. 3., ubi inconditam ac rudem vocem excusat, ipse ingenue fatetur [57]).

Deinde in aureo de Germania libello, quo maiorum nostrorum terras moresque aperto studio ac mira diligentia

---

[51]) *Hermes* I. p. 447; cf. p. 441.

[52]) Hübneri opinio, Agricolam laudationem funebrem esse, cum aliis tum his maxime argumentis refellitur. Ac primum quidem ille de Britannia excursus orationis modum, cum per octo capita (10—17.) continuetur, omnino excedit. Deinde oratio Calgaci cc. 30—32., cui Agricolae verba cc. 33—34. respondent, in laudatione funebri certe non potest locum habere. Denique ii loci respiciendi sunt, quibus Tacitus rerum scriptoris more posteritatis aperte curam habet, velut iam c. 1: „Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum"; c. 44: „Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit" etc.; c. 46: „Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit".

[53]) L. l. p. 442.

[54]) Ib. p. 445: „mit der affectvollen Apostrophe an den Verstorbenen und der in ihrem Ernste rührenden Klage, dass trotz der liebenden Fürsorge der Gattin doch dem suchenden Blick des Sterbenden etwas gefehlt habe, die Gegenwart der Tochter und ihres Gatten."

[55]) Ib. p. 443; cf. Agr. 5. 8. 19.

[56]) Ib. p. 446 sq.

[57]) Cf. *Wölfflinium* l. l. p. 97; *Haas.* l. l. p. XIX.

adumbrat, quamquam maiore iam facilitate rerum scriptoris provinciam administrare eum videmus, tamen oratorem adhuc cognoscimus. Ipsam enim discrepantiam, quam inter nativam Germanorum integritatem et delicatam Romanorum corruptionem a Tacito demonstrari non est infitiandum [58]), sermonis quoque antithesibus occasione oblata quasi imagine exprimit atque effingit. Rhetoricam sane redolet haec exclamatio: „Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urguentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam“ [59]); rhetoricam Hariorum descriptio [60]); rhetoricam magna pleonasmorum copia [61]); rhetoricam alia pleraque, quae *Baumstarkius* recens monuit, consilio sane a nostro longe diverso, quippe qui Germaniam ad id litterarum genus, cui fabularum Romanensium nomen imponimus, omnem fere pertinere harioletur [62]). Ac merito monstruosae isti sententiae *Göbelius* iusta indignatione et summa gravitate repugnavit [63]). Denique si Germaniae sermonem cum Agricola comparaveris, magis pressum illum invenies.

---

[58]) Cf. *Haasium* l. l. p. XIX—XXI., qui Tacitum praecipue periculum, quod a Germanis rei publicae Romanae minaretur, hoc libro monuisse arbitratur.

[59]) Germ. 33.

[60]) Ib. 43.

[61]) Pleonasmos Germaniae congessit *Halmius* „Controverse Stellen in der Germania“ in „Sitzungsberichte der bayer. Acad.“ München. 1864. p. 12 sqq.

[62]) *Eos* I. p. 39—64. „Ueber das Romanhafte in der Germania von Tacitus.“

[63]) Ib. p. 516—525. „Zur Germania des Tacitus.“ *Baumstarkius* respondit Göbelio („Noch einmal Ueher das Romanhafte in d. Germ. des T.“) atque adeo scripsit: „Ich nehme meine Behauptung „dass die Germania Romanhaftes enthalte“ nicht blos nicht zurück, sondern erkläre ganz unumwunden, dass nicht allein die Germania, sondern auch die übrigen historischen Schriften des Tacitus diese Schwäche oder Stärke haben.“ *Eos* II. p. 495.

Iam vero in amplioribus historiarum et annalium libris color oratorius multo magis evanescit. Ii quanto ab Agricola aut Germania differant, certe non singulari iudicii subtilitate opus est ut animadvertamus. Iam enim in historiis compositio planior atque lucidior, pleonasmi et aliae rhetoricae figurae maiore ex parte omissae. At ipsa duo historiarum annaliumque scripta quo modo, si rhetoricae rationem habemus, inter se discrepent, iam non in universum sed sermonis comparatione quam diligentissime instituta ostendi poterit. Quem arduum laborem cum in primis *Wölfflinius* egregie sibi sumpserit, eius operam laudavisse satis est. Tamquam brevissimum huius quaestionis compendium viri illius doctissimi verba hic exstare volo [64]): „Der in Wortvorrath wie Syntax der ciceronianischen Latinität nahe stehende Stil, wie er im Dialog herrscht, schwindet zwar immer mehr; aber wenn sich im Agricola, der Germania und theilweise noch in den Historien zahlreiche Spuren erhalten haben, . . . so nicht minder in Reden, directen wie indirecten, noch bis an das Ende der Annalen. Es hat das auch Spitta [65]) p. 3. richtig hervorgehoben, dass Tacitus in den Reden ein ganz anderer (magis rhetor) sei und darüber eine eigene Schrift in Aussicht gestellt . . . Auch die paar philosophischen Excurse wie Ann. III, 55; VI, 22; XVI, 16, zeigen einige stilistische Abweichungen von der erzählenden Prosa des Tacitus.“ Ceterum si Wölfflinius alterutrum evenisse censet [66]), „dass Tacitus entweder bewusst, als Rhetor und Grammatiker, seinen Stil umänderte, oder dass selbst die eigenartigsten, selbständigsten Naturen in ihrem Vorwärtsstreben doch gewissen Grundsätzen der Natur, wenn auch unbewusst, folgen müssen“: meo quidem arbitrio in priore huius sententiae parte maior vis inest, praesertim cum ipse

---

[64]) *Philol.* XXV. p. 107.

[65]) „De Taciti in componendis enuntiatis ratione.“ Gotting. 1866. 8.

[66]) L. l. p. 127.

Wölfflinius locos illos contulerit[67]), quibus Sallustii et Vergilii, partim Livii et Horatii scripta ut stili formandi exemplaria Tacito ob oculos versata esse probatur.

Oratoriam igitur Taciti eruditionem, quam supra enucleavimus, perspexisse nobis opus est, si quidem de doctrina eius, qualis in historicorum librorum excursibus nobis occurrit, liberum iustumque iudicium facere volumus. Numquam enim ex memoria deponamus nostrum historicum non ab initio rerum scriptoris partes obtinuisse, sed postquam magnam vitae partem foro ac rei publicae inservisset, accinxisse sese ad res gestas posteris tradendas, id quod etiam Q. Hortensium Sallustium Asinium Pollionem alios fecisse compertum habemus. Illi autem excursus, cum ad *varia studiorum genera* pertineant, non eadem regula qua continua rerum narratio iudicandi, sed *seorsum* ab ea inquirendi sunt.

Eo igitur consilio propositam nobis de Taciti excursibus dissertationem ita instituemus, *ut quae alii antiquitatis scriptores rettulerint conferamus, quid veri aut falsi insit explicemus, e quibus fontibus ille hanc suam doctrinam hauserit quantum fieri poterit demonstremus.*

Superiori nostrae expositioni statim eas res adiungimus recensendas, quarum notitiam Tacitus non ex singulari studio sed ex universa illa doctrina ceperat: ea enim intellego, quae *de caeli terraeque natura* sive, ut verbis nobis usitatis utar, *de geographia mathematica et physica* hic illic disserit[68]).

---

[67]) *Philol.* XXVI. p. 121 sqq. Cf. *Dräger* „Ueber Syntax und Stil des Tacitus“. Leipz. 1868. p. 103 sqq.

[68]) Agr. 10: „Dispecta est et Thyle . . . sed *mare pigrum et grave remigantibus* perhibent ne ventis quidem perinde attolli, *credo quod*

Ac de *terrae forma* idem certe atque Homerus et Herodotus animo sibi finxerat; nam insulam orbi similem et mari undique circumclusam esse existimabat (Germ. 45.). Qua opinione ductus *noctes in septentrionibus* propterea tam *breves ac claras* esse arbitrabatur, quod orbis illius umbra, quae coni instar solis occasu sursum erigeretur, in extremo margine exigua esset ac fere nulla (Agr. 12.). Ad eandem de terrae forma sententiam referenda sunt, quae *de sucini origine* profert: etenim solem occidentem insulis terrisque in extremo terrae margine sitis appropinquare resinamque arborum radiis liquefacere opinabatur. Unde simul animadvertimus Tacitum in eo quoque erravisse, quod quanto *propius soli* appropinquaverimus tanto magis etiam *calorem augeri* persuasum habuerit (Germ. 45.).

Oceanum septentrionalem eam ob causam pigrum ac prope immotum esse credit, quod rariores ibi sint terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellatur (Agr. 10.).

Cur *in Britannia fruges cito proveniant, tarde mitescant,* eandem utriusque rei causam, multum humorem terrarum caelique, recte indicat (Agr. 12.).

---

rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur."

Agr. 12: „Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed transire adfirmant. *scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit....* Tarde mitescunt (fruges), cito proveniunt; *eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique.*"

Germ. 45: „Trans Suionas aliud *mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortum edurat adeo clarus, ut sidera hebetet . . . illuc usque, et fama vera, tantum natura . . .* fecundiora nemora lucosque... occidentis insulis terrisque inesse crediderim; *quae vicini solis radiis expressa atque liquentia* in proximum mare labuntur".

Hanc Taciti sententiam ex omnibus quas modo exhibuimus unam re ipsa probari, reliquas, qua nunc instructi sumus rerum naturalium scientia, omnes refelli quis non concesserit? Sed ne illos quidem errores probro ei vertere iuste poterimus; nam vel doctissimi antiquitatis auctores, si unam de terrae forma opinionem exceperis, idem cum Tacito defendebant.

Noctem enim *Plinius* eodem modo quo Tacitus explicat[69]). Deinde tempestates terris montibusque maxime ali et *Seneca*[70]) et *Plinius*[71]) cum nostro scriptore consentiunt.

Terrae formam autem globo similem esse primi Pythagorei geometriae rationibus ducti tamquam ex bono et aequo iudicaverant et inde ab Aristotele omnes fere qui in eius modi studiis versabantur pariter accipiebant[72]); quam opinio-

---

[69]) N. H. II, 47. 48: „Manifestum est . . . neque aliud esse noctem quam *terrae umbram,* figuram autem umbrae similem *metae ac turbini inverso,* quando *mucrone* tantum ingruat neque *lunae* excedat altitudinem . . . *supra lunam pura omnia ac diuturnae lucis plena.*“ Cf. *Eumen.* „panegyric. in Constantin.“ c. 9. apud *Wexium* Agr. p. 23; *Beda* „H. A.“ 1, 1. apud eundem p. 251; quorum uterque breves in septentrionibus noctes similiter ac Plinius et Tacitus explicat.

[70]) Natur. quaest. V, 13: „Quaeri potest, cur turbo fiat. Evenire in fluminibus solet, ut, quamdiu sine impedimento feruntur, simplex et rectum illis iter sit: ubi incurrerunt in aliquod saxum ad latus ripae prominens, retorqueantur et in orbem aquas sine exitu flectant, ita ut circumlatae in se sorbeantur et verticem efficiant. *Sic ventus, quamdiu nihil obstitit, vires suas effundit:* ubi aliquo *promuntorio* repercussus est aut *vi locorum coeuntium* in canalem devexum tenuemque collectus, *saepius in se volutatur* similemque illis quas diximus converti aquas *facit vorticem.* Hic ventus circumactus et eumdem ambiens locum ac se ipsa vertigine concitans turbo est.“

[71]) N. H. II, 115: „*Montium* vero *flexus* crebrique *vertices* et conflexa cubito aut fracta in umeros *iuga,* concavi *vallium sinus* scindentes inaequalitate ideo resultantem aera . . . *sine fine ventos generant.*“

[72]) Hac de re velim conferas *Oscar. Peschel.* „Geschichte der Erdkunde bis auf A. v. Humboldt u. Carl Ritter“. München 1865. p. 31.

nem Tacito ignotam fuisse nemo dixerit: sed cum in astronomia discenda propriam operam non collocavisset, talium rerum ne scientia quidem communem aequalium doctrinam superare poterat. Itaque illum plus suis oculis quam doctorum hominum sententiis tribuisse non mirabimur. Neque vero solum Tacitum de terrae forma falsum cogitavisse cum ex *Seneca* (Natur. quaest. II, 1.) tum ex *Plinio* (N. H. II, 161 sqq.) apparet. Nequaquam igitur necessarium est, ut nostro scriptori, quamvis repugnent clara eius verba, terrae globum quasi obtrudamus. (Cf. *Walchium* Agr. p. 203 sqq.; *Wexium* p. 252.).

E quibus *fontibus* sententias illas modo examinatas Tacitus hauserit, cum easdem omnes fere aequales tuiti sint, arduum esse mihi videtur de ea re quaestionem movere. Ac tamen, quoniam in multis rebus, ut saepius infra videbimus, aperte *Plinium* secutus est, ne hic quidem improbabile esse dixerim, quae ille suo loco protulerit, ei ob oculos esse versata.

Postquam universam Taciti doctrinam, quantum ex libris servatis iudicare nobis licet, demonstravimus, *excursus eius historicis scriptis insertos*[73]) ratione temporis, quo singula edita sunt, habita infra enumerabimus:

In Agricola:

cc. 10—17. de Britannia excursus geographicus (cc. 10—12.) et historicus (cc. 13—17.).

---

[73]) *Teuffelius* l. l. p. 45. laudat illum locum Hist. II, 50: „ut conquirere fabulosa . . . ausim“ atque haec adiungit: „Auch historische Excurse sind daher *verhältnissmässig selten,* finden sich aber *z. B.* H. II, 3. 38. IV, 83 f. V, 2 ff. A. III, 26 ff. VI, 11. 12. 16. 21 f.“ Sed non ita raros esse excursus atque virum illum doctissimum exempli gratia etiam plures potuisse enumerare, ex indice infra posito apparet.

Germania

ratione iam initio huius libelli exposita tota tamquam excursus nobis tractanda erit; praecipue c. 37. bellorum cum Germanis gestorum memoria.

In Historiarum libris:

I, 11. de Aegypti administratione.
79. de Sarmatis.
84. de senatu auspicato a Romulo instituto.
II, 2—3. de Venere Paphia (initia religionis, templi ritus, forma deae).
38. de civilibus Romanorum certaminibus.
78. de Carmelo monte deoque Iudaeam inter Suriamque.
91. XV kalendas Augustas Cremerensi Alliensique cladibus infaustus dies.
95. de sacerdotio Tatio regi a Romulo sacrato; cf. Ann. I, 54.
III, 34. de Cremona.
37. numqam antea non abrogato magistratu neque lege lata alium suffectum, adnotabant periti.
72. de Capitolio (Tarquinius Priscus voverat ieceratque fundamenta. Servius Tullius, dein Tarquinius Superbus exstruxere. Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit. L. Scipione C. Norbano coss. flagraverat. Sulla. Lutatius Catulus); cf. IV, 53.
IV, 8. de legatis olim sorte missis.
9. de praetoribus aerariis; cf. Ann. XI, 22; XIII, 29.
15. de Canninefatibus.
81—84. de Serapidis dei origine.
V, 2—12. de Iudaeis; cf. II, 4: „pervicacia superstitionis“.

In Annalium libris:

I, 1. de rei publicae Romanae statu a principio usque ad Augustum (reges. consulatus. dictaturae. decemviralis potestas. tribunorum militum consulare ius.

Cinna. Sulla. Pompeius. Crassus. Caesar. Lepidus. Antonius. Augustus).
de claris illorum temporum scriptoribus.
15. de comitiis e campo ad patres translatis.
54. de sodalibus Titiis; cf. Hist. II, 95.
72. de lege maiestatis.
II, 32. de prisco supplicii more.
34. de virginibus Vestalibus.
49. aedes Libero Liberaeque et Cereri iuxta circum maximum ab A. Postumio dictatore vota. eodem in loco aedes Florae ab L. et M. Publiciis aedilibus constituta. Iano templum apud forum holitorium a C. Duilio structum, qui primus rem Romanam prospere mari gessit. Spei aedes ab A. Atilio eodem bello vota.
52. de Camillorum familia.
54. de Clarii Apollinis oraculo apud Colophona.
60—61. de Aegypto (Germanici iter. oppidum Canopus. Nili os dicatum Herculi. litterae Aegyptiae Thebis a sacerdote explicantur. Memnonis saxea effigies. pyramides).
85. de impudicitiae apud aediles professione.
III, 25—28. de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit (vetustissimi mortalium legibus non indigebant. dominationes. leges. Minos. Lycurgus. Solo. Romulus. Numa. Tullus. Ancus. Servius Tullius. Tarquinius pulsus. decemviri. duodecim tabulae. secutae leges per vim latae. Gracchi. Saturnini. Drusus. L. Sulla. Lepidus. quaestiones. Cn. Pompeius. Caesar Augustus. lex Papia Poppaea).
33. de legibus Oppiis aliisque de uxoribus propraetorum latis.
52—55. de luxu.
56. de potestate tribunicia; cf. c. 59.

58. de flamine Diali; cf. c. 71; IV, 16.
60—63. Graecae in Asia urbes asyli ius antiquis religionibus nisi a Tiberio petunt.
64. de fetialibus.
74. de prisco erga duces honore, qui a victore exercitu imperatores conclamabantur.

IV, 4—5. quae tunc (anno 23. p. Chr.) Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.
6. ceterae quoque rei publicae partes recensentur, quibus modis ad eam diem habitae sint, quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus (23. p. Chr.) attulit.
14. Samii Coique vetustum asyli ius ut firmaretur petierunt. Oscum quondam ludicrum; cf. XIV, 20—21.
16. de flamine Diali. lex de flaminica Diali lata; cf. III, 58. 71.
26. Ptolemaeo Maurorum regi antiqua patrum munera mittuntur.
32—33. Tacitus suum cum antiquae rei publicae scriptoribus munus comparat.
quot possint esse rei publicae formae.
36. de praefecto urbis; cf. VI, 17. (11.).
Cyziceni bello Mithridatis libertatem meruerant.
38. Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis.
43. Segestani aedem Veneris montem apud Erycum, vetustate dilapsam, restaurari postulavere.
55—56. undecim Asiae urbes generis vetustatem iactantes de templo statuendo certant.
65. de monte Caelio.
67. Capreae Telebois olim habitatae.
73. lucus Baduhennae.

VI, 4. (V, 9.) triumvirali supplicio adfici virginem inauditum.

17. (11.) de praefecto urbis; cf. IV, 36.
18. (12.) de Sibyllinis libris.
22. (16.) de faenore.
28. (22.) de Chaldaeorum arte.
34. (28.) de ave phoenice.
40. (34.) de Hiberis Albanisque.
47. (41.) Nicephorium et Anthemusias ceteraeque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant.
48. (42.) de Seleucia urbe.

XI, 5. de lege Cincia; cf. XIII, 42; XV, 20.
14. de litteratura (primi Aegyptii. Phoenices. Cadmus. Cecrops Atheniensis. Linus Thebanus. Palamedes Argivus. Simonides. Demaratus Corinthius. Evander Arcas).
15. de collegio haruspicum.
22. de quaestura.
23—25. de senatu suppleto.
25. de patribus maiorum et minorum gentium. lex Cassia. lex Saenia.

XII, 5. matrimonium patrui cum fratris filia inauditum.
6. coniugia sobrinarum diu ignorata percrebruerunt.
8. de legibus Tulli regis.
13. Ninos vetutissima sedes Assyriae. praecipua in illis terris Herculis religio.
23—24. de pomerio urbis.
42. de honore Capitolium carpento ingrediendi.
47. quo modo a barbarorum regibus societates coeantur.
60. de iudiciis (senatus. Semproniae rogationes tribuunt ordini equestri. Serviliae leges reddunt senatui. Marius. Sulla. C. Oppius et Corn. Balbus. Matii, Vedii et cetera equitum Romanorum praevalida nomina. Claudius libertis procuratoribus suis iudicia tradit).
61. de Coorum antiquitate.
62—63. de Byzantiorum antiquitate.

XIII, 26. de laesi patroni in libertum iure.
27. de duabus manu mittendi speciebus.
28—29. de aerarii administratione (quaestores. sub Augusto praefecti a senatu delecti. dein ex numero praetorum sorte ducti. sub Claudio rursum quaestores. sub Nerone praefecti praetura functi); cf. XI, 22; Hist. IV, 9.
32. patrisfamilias potestas de capite famaque coniugis.
57. Hermundurorum Chattorumque religiones.
58. de arbore Ruminali in comitio.
XIV, 20—21. de ludis et spectaculis (a Tuscis acciti histriones, a Thuriis equorum certamina); cf. IV, 14.
27. de coloniis.
30. Britanni cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant.
35. Britannis feminarum ductu bellare solitum.
42. familia omnis ad supplicium acta; cf. XIII, 32.
XV, 20. Cincia rogatio. Iuliae leges. Calpurnia scita.
21. olim privati etiam mittebantur, qui provincias viserent.
32. de lege Roscia.
41. templum Lunae a Servio Tullio sacratum; magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat; aedes Statoris Iovis vota Romulo; Numae regia; delubrum Vestae cum Penatibus populi Romani exusta. XIV kal. Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflammaverunt.
74. vetus aedes Solis in circo.
XVI, 1. Dido Phoenissa, Tyro profuga, Carthaginem condidit.
21. ludi † cetasti Patavi a Troiano Antenore instituti.

Illos excursus omnes hac dissertatione singulatim pertractare non possumus. Sed tamen, ut auctoris nostri doctrina quam maxime illustretur, primum duos illos minores libros de *Agricola* et *Germania* scriptos perscrutabimur, deinde ex historiis excursum de *Capitolio* adiungemus, postremo ex annalibus, quid de *quaestura* Tacitus tradiderit, examinabimus. Reliquos autem excursus futurae opportunitati reservamus.

II.

Quam doctrinam Tacitus in excursu de Britannia et Hibernia Agr. 10 — 17. et 24. exhibeat.

Tacitus in libro de Iulii Agricolae vita et moribus scripto, ubi illum statim post consulatum Britanniae provinciae praepositum esse memorat, hac occasione oblata utitur, ut *excursum de Britannia et geographicum* (cc. 10—12) *et historicum* (cc. 13—17.) inserat.

Atque illum quidem his verbis exorditur: „*Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos* non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est: ita quae priores nondum comperta *eloquentia* percoluere, *rerum fide* tradentur“ (Agr. 10). Ex iis autem scriptoribus, qui de Britannia aliquid rettulerant, adhuc nobis cum Tacito conferre licet *Caesarem*, *Diodorum*, *Strabonem*, *Pomponium Melam*, *Plinium*. Praeter hos etiam *Livium*[74]) et *Fabium Rusticum* in libris suis Britanniae mentionem fecisse ab ipso Tacito certiores reddimur.

---

[74]) Livium illo loco, quo Caesaris expeditiones narraverit, de Britannia disseruisse ex libri CV. periocha suspicari possumus.

Ac de Britanniae *forma* ante Tacitum veterum opiniones admodum incertae et plerumque falsae erant; nam ne hoc quidem inter eos constabat, utrum pro *continenti* an pro *insula* habenda esset. Quamquam enim Pytheas, Caesar, Diodorus, Strabo, Mela, Plinius Britanniam semper insulam appellant, tamen ita rem se habere Agricolae demum expeditione probatum est [75]). Triquetram esse illam terram *Caesar* (B. G. V, 13.), *Diodorus* (V, 21.), *Strabo* (IV, 5, 1. p. 199.), *Mela* (III, 6.) existimabant; ac Diodorus et Mela insulam maxime Siciliae similem esse addiderunt. *Livius* autem et *Fabius Rusticus* formam *totius* Britanniae oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere [76]). Sed hos quoque duos auctores bene corrigit Tacitus; qualem enim Britanniae formam tribuerint toti, talem esse *citra Caledoniam*, unde et in universum famam esse: sed immensum et enorme spatium *procurrentium* extremo iam litore *terrarum velut in cuneum tenuari* (Agr. 10.). Hoc loco primo accuratam veramque de septentrionali insulae parte sententiam invenimus.

Deinde *situm* Britanniae Tacitus ita describit: „Britannia spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur“ (Agr. 10.). Ex his verbis patet, nostrum auctorem in eundem errorem incidisse atque eos, qui antea de

---

[75]) Agr. 10: „Tunc primum Romana classis insulam esse Britanniam adfirmavit. Cf. *Gass. Dio* XXXIX, 50: „Τοῖς μὲν πάνυ πρώτοις καὶ Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων οὐδ' ὅτι ἔστιν ἐγιγνώσκετο, τοῖς δὲ ἔπειτα ἐς ἀμφισβήτησιν εἴτε ἤπειρος εἴτε καὶ νῆσος εἴη ἀφίκετο· καὶ πολλοῖς ἐφ' ἑκάτερον, εἰδόσι μὲν οὐδὲν ἅτε μήτ' αὐτόπταις μήτ' αὐτηκόοις τῶν ἐπιχωρίων γενομένοις, τεκμαιρομένοις δὲ ὡς ἕκαστοι σχολῆς ἢ καὶ φιλολογίας εἶχον, συγγέγραπται. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου, πρότερόν τε ἐπ' Ἀγρικόλου ἀντιστρατήγου καὶ νῦν ἐπὶ Σεουήρου αὐτοκράτορος νῆσος οὖσα ἐλήλεγκται.“

[76]) Agr. 10. Scutulae et bipennis imagines vide apud *Wexium* p. 246.

Britannia scripserant[77]): „misso enim toto illo Galliae tractu, qui occidentem versus excurrit (la Bretagne), omne occidentale et septentrionale litus Galliae una cum litoribus Germaniae una rectaque linea esurgere putabant orientem versus ac septentriones. Inter utrumque igitur hoc litus extendi opinabantur Britanniam, quam multo inferius sitam putabant“ [78]).

Quanta sit Britannia, Tacitus non certis numeris exprimit, sed „insularum quas Romana notitia complectitur maximam“ eam appellat (Agr. 10.); quod ei cum *Mela* convenit, qui „ingentem“ Britanniam vocat (III, 6.)[79]).

Tum de *oceano Britanniam circumfluente* haec Tacitus refert: „Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus adcrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo“ (Agr. 10.). Iam *Diodorus*[80]) Posidonio potissimum auctore et *Mela*[81]) mirum aestus circa Britanniam impetum noverant. Ac cum Tacitus scribit: „*Naturam Oceani atque aestus* neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere“ (Agr. 10.), haud scio an *Senecam*[82]) et *Plinium*[83]) intellegat, qui fusius eas res explicare conati sunt.

Agricolae expeditione etiam *Orcades* („Orkney-islands“), quae antea nomine tantum notae erant[84]), inventae ac sub-

---

[77]) *Caes.* B. G. V, 13; *Diodor.* V, 21; *Strab.* IV, 5, 1. p. 199; I, 4, 3. p. 63; *Mela* III, 6; *Plin.* N. H. IV, 102. Cf. etiam *Cass. Dio* XXXIX, 50.

[78]) *Wex.* p. 245.

[79]) Numeros multum inter se discrepantes cf. apud *Strab.* I, 4, 3. p. 63; II, 4, 1. p. 104; IV, 5. 1. p. 199; *Caes.* B. G. V, 13; *Diodor.* V, 21; *Plin.* N. H. IV, 102; *Cass. Dion.* LXXVI, 12.

[80]) V, 22.

[81]) III, 6; cf. III, 1. 3.

[82]) Natur. quaest. III, 28 sqq.

[83]) N. H. II, 212 sqq.

[84]) Ita sane illud „*incognitas ad id tempus*“ manifesto interpretandum est.

actae sunt. *Mela*[85]) et *Plinius*[86]), qui iam notitiam earum habuerant, alter triginta, alter quadraginta numeraverant. Sed nos octo tantum et viginti, quae habitari possint, Orcadas novimus[87]). Tacitus autem numerum insularum non exhibet.

Porro is narrat illa expeditione *Thylen* quoque procul esse conspectam: „Dispecta est et Thyle, quia hactenus iussum: et hiems adpetebat. sed *mare pigrum et grave remigantibus* perhibent ne ventis quidem perinde attolli“ (Agr. 10.).

Prima insulae illius notitia veteribus a *Pythea* Massiliensi (c. 334. a. Chr.) allata est. Neque vero satis conqueri poterimus, quod egregii huius viri scripta nobis perierunt[88]). Quidquid enim ex iis Strabo aliique antiquitatis auctores excerpserunt, quamquam plerumque res miras, ut mendacii eum coarguerent, inde sumpserunt: tamen vel ex his paucis fragmentis Pytheam auctorem fide dignissimum fuisse cognoscimus. Refert igitur *Strabo*: „*Θούλην φησὶ Πυθέας ἀπὸ μὲν τῆς Βρεττανικῆς ἓξ ἡμερῶν πλοῦν ἀπέχειν πρὸς ἄρκτον, ἐγγὺς δ' εἶναι τῆς πεπηγυίας θαλάττης*“ — verum caute addit: „*οἱ τὴν Βρεττανικὴν καὶ Ἰέρνην ἰδόντες οὐδὲν περὶ τῆς Θούλης λέγουσιν, ἄλλας νήσους λέγοντες μικρὰς περὶ τὴν Βρεττανικήν*“[89]), atque hoc tamquam novo argumento Pytheam mendacii convictum esse existimat[90]). Et ipse *Plinius* „Thylen sex dierum navigatione in septentrionem a Britannia distare“ Pytheam testem laudat[91]) atque alio

---

[85]) III, 6: „Triginta sunt Orcades angustis inter se ductae spatiis.“

[86]) N. H. IV, 103: „Sunt autem XL Orcades modicis inter se discretae spatiis.“

[87]) Cf. *Walch.* p. 186.

[88]) Cf. *Osc. Peschel.* l. l. p. 1 sq., ubi etiam variae interpretum opiniones breviter recensentur.

[89]) I, 4, 2. 3. p. 63; cf. IV, 5, 5. p. 201.

[90]) I, 4, 3. p. 63: „Πυθέας ἀνὴρ ψευδίστατος ἐξήτασται.“

[91]) N. H. II, 187.

loco insulam commemorat „Nerigon maxumam omnium, ex qua in Thylen navigetur“ [92]).

De Thyle vero veteres nihil certi compertum habebant, sed eo nomine *terram in extremis septentrionibus sitam* significabant [93]). Ac recte inter omnes fere constat, Thylen apud *Tacitum* nullam aliam esse insulam nisi unam ex iis quas vocamus „*Shetland*-islands“, velut *Mainland*, quam Gosselin (Recherches IV, p. 169.) ante haec dua saecula etiamtum *Thyl* appellatam esse refert. Illae enim, quia alte eminent ex mari, vere dispici possunt ex Orcadibus [94]). At quae apud Strabonem et Plinium legantur, nisi *Scandinaviam* intellegas *Pytheae* Thylen, non posse cum vero apte conciliari *Sven Nilsson* gravibus argumentis demonstrat [95]).

Mare illud prope Thylen pigrum et grave remigantibus (cf. Germ. 45: „Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum“) iam *Pytheas* copiose describit apud *Strabonem*: „*Τὰ περὶ τῆς Θούλης καὶ τῶν τόπων ἐκείνων, ἐν οἷς οὔτε γῆ καθ' αὑτὴν ὑπῆρχεν ἔτι οὔτε θάλαττα οὔτ' ἀήρ, ἀλλὰ σύγκριμά τι ἐκ τούτων πλεύμονι θαλασσίῳ ἐοικός, ἐν ᾧ φησι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν αἰωρεῖσθαι καὶ τὰ σύμπαντα, καὶ τοῦτον ὡς ἂν δεσμὸν εἶναι τῶν ὅλων, μήτε πορευτὸν μήτε πλωτὸν ὑπάρχοντα· τὸ μὲν οὖν τῷ πλεύμονι ἐοικὸς αὐτὸς ἑωρακέναι, τἆλλα δὲ λέγειν ἐξ ἀκοῆς*“ [96]). *Plinius* autem haec tradit: „Septentrionalis oceanus. Amalchium eum Heca-

---

[92]) Ib. IV, 104.

[93]) *Strab.* IV, 5, 5. p. 201: „ταύτην“ (τὴν Θούλην) „τῶν ὀνομαζομένων ἀρκτικωτάτην τιθέασιν.“ *Plin.* N. H. IV, 104: „Ultima omnium quae memorantur Thyle“.

[94]) *Wex.* p. 247; cf. *Walch.* p. 188.

[95]) „Einige Bemerkungen zu Pytheas' Nachrichten über Thule, von *Sven Nilsson*, Prof. in Lund.“ Patrio sermone vertit *Schoemannus* in „Zeitschrift für Alterthumswissenschaft“ 1838. p. 921—931. Vide p. 927—930. Contra *A. Humboldtius* Pytheae quoque Thylen in insulis Shetlandicis quaerendam esse arbitrabatur. Cf. *Peschel.* l. l. p. 2. annot.

[96]) II, 4, 1. p. 104.

taeus appellat a Parapaniso amne, qua Scythiam adluit, quod nomen eius gentis lingua significat *congelatum*. Philemon Morimarusam a Cimbris vocari, hoc est *mortuum mare*, usque ad promontorium Rubeas, ultra deinde *Cronium*" [97]). „A Thyle unius dici navigatione *mare concretum* a nonnullis *Cronium* appellatur" [98]). Quae Pytheas de mari concreto narravit, lucide ac diserte Sven Nilsson explicuit [99]): unde illum non ficta sed vera rettulisse demonstratur. Iam etiam intellegitur, cur mare in illis regionibus pigrum et grave remigantibus sit; ipsam enim rem Tacitus recte tradit, sed non satis percepisse videtur; quod ex causis ab eo allatis nostro iure colligimus.

Postquam quae de Britanniae situ, forma, vicinis regionibus apud Tacitum reperiuntur examinavimus, quid *de terra* ipsa eiusque *incolis* memoriae prodiderit quaeramus.

Ac *caelum* Britanniae ita exponit: „Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed transire adfirmant" (Agr. 12.). Similiter iam *Caesar* scripserat: „Loca sunt *temperatiora* quam in Gallia *remissioribus*

---

[97]) N. H. IV, 94. 95.

[98]) Ib. IV, 104. De Cronio, quo modo cum mari concreto cohaereat, cf. *Osc. Peschel.* l. l. p. 4.

[99]) L. l. p. 921—925: „Für diejenigen, die nie solche Eismischung in der See gesehen haben, muss ich bemerken, dass man sich darunter nicht ein beginnendes, dünnes, glasähnliches Eis zu denken habe. . . . Die Eismischung in der See besteht aus neben einander liegenden Klumpen, die ein Mittelding zwischen Schnee und Eis erscheinen. . . . Man kann in dieser Eismischung weder gehen noch darin fahren. Diese Eismischung nun, die er so treffend mit einer Masse von Medusen" (πνεύμων θαλάσσιος), „im mittelländischen Meere vergleicht, hat Pytheas selbst bei Thule gesehen." p. 925.

frigoribus“ [100]); legisse se apud nonnullos (scilicet apud Pytheam?) dies continuos XXX sub bruma esse noctem; sed nihil de eo percontationibus repperisse, nisi certis ex aqua mensuris *breviores* esse quam in continenti *noctes* vidisse [101]). At *Diodorus* cum Caesare et Tacito dissentit: „*Τὴν τοῦ ἀέρος ἔχειν διάθεσιν παντελῶς κατεψυγμένην (φασὶ τὴν νῆσον) ὡς ἂν ὑπ' αὐτὴν τὴν ἄρκτον κειμένην*“ [102]). *Strabo* autem aeque ac Tacitus humidum Britanniae caelum commemorat [103]); et brevitatem noctium ut Caesar et Tacitus, ita *Plinius* [104]) quoque cognoverat.

Deinde ex iis *quae proferat* Britannia, Tacitus Agr. 12. oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta solus nominat; fruges ibi nasci etiam *Caesar* (B. G. V, 14.) et *Strabo* (IV, 5, 2. p. 199.) testantur; praeterea *Strabo* (l. l.) et *Mela* (III, 6.) appellant nemora saltusque; materiam cuiusque generis, ut in Gallia, praeter fagum atque abietem laudat *Caesar* (B. G. V, 12.). Ex animalibus, de quibus Tacitus omnino silet, pecorum mentionem faciunt *Caesar* (B. G. V, 12.) et *Mela* (l. l); *κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας* apud *Strabonem* (l. l.) inveniuntur; leporem et gallinam et anserem gustare fas non putare Britannos, haec tamen alere animi voluptatisque causa. *Caesar* (l. l.) refert. Aurum et argen-

---

[100]) B. G. V, 12.

[101]) Ib. V, 13.

[102]) V, 21.

[103]) IV, 5, 2. p. 200: „Ἐπομβροι δ' εἰσὶν οἱ ἀέρες μᾶλλον ἢ νιφετώδεις· ἐν δὲ ταῖς αἰθρίαις ὁμίχλη κατέχει πολὺν χρόνον, ὥστε δι' ἡμέρας ὅλης ἐπὶ τρεῖς μόνον ἢ τέτταρας ὥρας τὰς περὶ τὴν μεσημβρίαν ὁρᾶσθαι τὸν ἥλιον.“

[104]) N. H. II, 186. 187: „Longissimus dies . . . in Italia XV, in Britannia XVII“ (horas colligit), „ubi aestate *lucidae noctes* haud dubie promittunt id quod cogit ratio credi, solstiti diebus accedente sole propius verticem mundi, angusto lucis ambitu, subiecta terrae continuos dies habere senis mensibus, noctisque e diverso ad brumam remoto. Quod fieri in insula Thyle *Pytheas* Massiliensis scribit.“ Cf. II, 81., ubi Plinius inaequalem dierum longitudinem explicare conatur.

tum Britanniam ferre, Tacito cum *Strabone* (l. l.) convenit; ex aliis metallis, quae singula non enumerat auctor noster, *Caesar* (l. l.) et *Diodorus* (V, 22.) plumbum album commemorant, *Caesar* (l. l.) et *Strabo* (l. l.) ferrum, *Plinius* (N. H. XXXIV, 164.) plumbum nigrum. Gemmas apud unum *Melam* (l. l.) reperimus. Denique tradit Tacitus, gignere et Oceanum margarita, sed subfusca ac liventia. Quosdam artem abesse legentibus arbitrari; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi: se facilius credere naturam margaritis deesse quam Romanis avaritiam (Agr. 12.). Margaritas etiam *Mela* (l. l.) nominat, easque parvas et decolores *Plinius* (N. H. IX, 116.).

Tum de *origine Britannorum* Tacitus ita disserit, ut eos non indigenas sed advectos esse arbitretur. Id cum parum compertum sit ut inter barbaros, concludere se ex *corporum habitu:* namque rutilas Caledoniam habitantium comas, magnos artus *Germanicam* originem adseverare. Silurum coloratos vultus, tortos plerumque crines et positam contra Hispaniam *Hiberos* veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem facere. Proximos *Gallis* et similes esse, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dederit; in universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile esse. Eorum sacra deprehendi superstitionum persuasione; sermonem haud multum diversum esse, in deposcendis periculis eandem audaciam et, ubi advenerint, in detrectandis eandem formidinem. Plus tamen ferociae Britannos praeferre, ut quos nondum longa pax emollierit (Agr. 11.). Contra *Caesar* [104a]) refert Britanniae partem interiorem ab iis incoli, quos natos in insula ipsi memoria proditum dicant, maritimam partem ab iis, qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio transierint (quos omnes fere iis nominibus civitatum appellari, quibus orti ex civitatibus eo pervenerint) et bello illato ibi

---

[104a]) B. G. V, 12.

permanserint atque agros colere coeperint. Idem quod de Caledoniis tantum Tacitus scribit, de universis Britannis tradit *Strabo* [105]). Omnes incolas origine indigenas esse solus *Diodorus* [106]) narrat.

De *victu* autem *cultuque* illius nationis, quem Tacitus commemorare prorsus omisit, apud *Caesarem* haec leguntur: „Ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quae regio est marituma omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt pellibusque sunt vestiti“ (B. G. V, 14.). Eadem reperimus apud *Diodorum* (V, 21.), *Strabonem* (IV, 5, 2. p. 200.), *Melam* (III, 6.). Deinde *Caesar* ita pergit: „Omnes se Britanni vitro inficiunt quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiores sunt in pugna aspectu; capilloque sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter caput et labrum superius“ (B. G. V, 14.). Morem illum pigmentis atque stigmatis vultus pingendi etiam *Mela* [107]) et *Plinius* [108]) memoriae produnt. At Tacitus de ea re tacet; nam Silurum vultus non arte sed natura coloratos esse accipiendos iam ex eo elucet, quod scriptor noster ex nativo colore Silurum originem ab Hiberis deduxit [109]). Neque vero ceterorum auctorum locos a vero abhorrere ex Tacito

---

[105]) IV, 5, 2. p. 200: „Οἱ ἄνδρες εὐμηκέστεροι τῶν Κελτῶν εἰσι καὶ ἧσσον ξανθότριχες, χαυνότεροι δὲ τοῖς σώμασι. σημεῖον δὲ τοῦ μεγέθους· ἀντίπαιδας γὰρ εἴδομεν ἡμεῖς ἐν Ῥώμῃ τῶν ὑψηλοτάτων αὐτόθι ὑπερέχοντας καὶ ἡμιποδίῳ, βλαισοὺς δὲ καὶ τἆλλα οὐκ εὐγράμμους τῇ συστάσει.“

[106]) V, 21: „Κατοικεῖν δέ φασι τὴν Βρεττανικὴν αὐτόχθονα γένη, καὶ τὸν παλαιὸν βίον ταῖς ἀγωγαῖς διατηροῦντα.“

[107]) III, 6: „Incertum ob decorem an quid aliud vitro corpora infecti.“

[108]) N. H. XXII, 2: „Similis plantagini glastum in Gallia vocatur, Britannorum coniuges nurusque toto corpore oblitae quibusdam in sacris nudae incedunt Aethiopum colorem imitantes.“

[109]) Praeterea *Walch.* p. 195. et *Wex.* p. 249 exemplis hanc interpretationem muniverunt.

licet colligere [110]). Aedificia Britannorum, ut *Caesar* testatur (B. G. V, 14.) fere Gallicis consimilia erant; ac sine arte ligno ea fuisse constructa et *Diodorus* (V, 21.) et *Strabo* (IV, 5. 2. p. 200.) affirmant.

Tum de *matrimonio* nihil apud Tacitum reperitur. Verum quod *Caesar* tradit: „Uxores habent deni duodenique inter se communes et maxime fratres cum fratribus parentesque cum liberis; sed qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, quo primum virgo quaeque deducta est“ (B. G. V, 14.), idem fere multo post a *Cassio Dione* quoque refertur (LXXVI, 12.).

Deinde duo tantum loci, quibus de *religionibus* Britannorum agitur, apud Tacitum exstant: alter Agr. 11., ubi eas ex Gallia in Britanniam fuisse translatas arbitratur; alter Ann. XIV, 30., ubi druides commemorat ac de sacris haec scribit: „Excisi luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant.“ Utrumque similiter etiam *Plinius* (N. H. XXX, 13.) narrat. Contra *Caesar*, qui B. G. VI, 13 sqq. de druidum disciplina copiose disserit, eam in Britannia repertam atque in Galliam translatam esse existimat, et qui diligentius eam rem cognoscere voluerint, etiam tum plerumque illo discendi causa profectos esse adseverat (B. G. VI, 13.).

Etiam *rem militarem* Britannorum Tacitus his paucis verbis absolvit: „In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. honestior auriga, clientes propugnant“ (Agr. 12.). Sed equitatum quoque Britannos in aciem duxisse docemur Ann. XIV, 34: „Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant.“ Quibus armis illi usi sint, ex Tacito cognosci non potest; nam id unum dicit, apud eos nulla loricarum galearumve tegmina fuisse (Ann. XII, 35.).

---

[110]) *Wex.* p. 249: „Luculentus in hac re Iornandes de reb. Gaeticis p. 81. ed. Lindenbr. qui postquam tradidit: „„Silurum colorati vultus, torto plerique crine et nigro nascuntur““, deinde praeterea refert: „„ob decorem nescio an aliam ob caussam ferro pingunt corpora.““

At *Caesar* auctor est, Britannos equis maxime atque essedis proeliari; saepe is equites et essedarios nominat [111]) accurateque IV, 33. genus ex essedis pugnae describit. Etiam apud *Diodorum* [112]) curruum usus refertur, et, uti *Mela* testatur, „Britanni dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus Gallice armati [113]): *covinos* vocant, quorum falcatis axibus utuntur“ (III, 6.). Quod congruit cum Agr. 35., ubi Tacitus *covinnarium* equitem commemorat. Etiam *Strabo* cum Mela consentit: „*Πρὸς δὲ τοὺς πολέμους ἀπήναις χρῶνται τὸ πλέον, καθάπερ καὶ τῶν Κελτῶν ἔνιοι*“ (IV, 5, 2. p. 200.).

Tum de Britannorum *re publica* a Tacito haec traduntur: „Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis distrahuntur. nec aliud adversus validissimas gentis pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur“ (Agr. 12.). Sexum in imperio non discernebant (Agr. 16.) et feminarum ductu bellare iis solitum erat (Ann. XIV, 35.). Aliter sane *Diodorus* scribit, Britannos „*βασιλεῖς τε καὶ δυνάστας πολλοὺς ἔχειν, καὶ πρὸς ἀλλήλους κατὰ τὸ πλεῖστον εἰρηνικῶς διακεῖσθαι*“ (V, 21.). *Strabo* hoc tantum prodit: „*Δυναστεῖαι δ' εἰσὶ παρ' αὐτοῖς*“ (IV, 5, 2. p. 200.). At omnino cum Tacito concinit *Mela:* „Fert“ (Britannia) „populos *reges*que populorum . . . causas tamen bellorum et bella contrahunt ac *se frequenter invicem infestant*, maxime imperitandi cupidine studioque ea prolatandi quae possident“ (III, 6.).

---

[111]) B. G. IV, 24. 32. 33; V, 9. 15 etc.

[112]) V, 21: „Ἅρμασι κατὰ τοὺς πολέμους χρῶνται, καθάπερ οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων ἥρωες ἐν τῷ Τρωϊκῷ πολέμῳ κεχρῆσθαι παραδέδονται.“

[113]) Cf. *Cass. Dio* LXXVI, 12: „Τὰ δὲ ὅπλα αὐτῶν ἀσπὶς καὶ δόρυ βραχύ, μῆλον χαλκοῦν ἐπ' ἄκρου τοῦ στόρακος ἔχον, ὥστε σειόμενον κτυπεῖν πρὸς κατάπληξιν τῶν ἐναντίων· εἰσὶ δ' αὐτοῖς καὶ ἐγχειρίδια.“ Cf. XXXIX, 51; XL, 3.

Ex *singulis* denique *Britanniae gentibus* Tacitus in excursu praeter *Caledonios* [114]) et *Silures* (c. 11.) nullas appellat. Sed aliis locis *Boresti* (c. 38.), *Decangi*, *Brigantes* (c. 17; Ann. XII, 32; XIV, 29.), *Ordovices* (c. 18; Ann. XII, 33.), *Iceni* (Ann. XII, 31; XIV, 31.), *Trinobantes* (Ann. XIV, 31.) nominantur. E quibus omnibus Trinobantes tantum apud *Caesarem* reperimus (B. G. V, 20.); contra ab eo gentes alias ignotae enumerantur, videlicet *Cenimagni*, *Segontiaci*, *Ancalites*, *Bibroci*, *Cassi* (B. G. V, 21.).

Geographicae Britanniae descriptioni statim addimus pauca de *Hibernia* verba Agr. 24: „Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita . . . spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt. melius aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti.“ Similiter *Caesar* eam insulam, qua Britannia ad Hispaniam atque occidentem solem vergat, sitam ac pari spatio transmissum atque ex Gallia esse in Britanniam existimat; sed dimidio minorem quam Britanniam aestimari Hiberniam tradit (B. G. V, 13.). *Strabo* autem Hiberniam in septentrionem Britanniae transfert eamque longiorem quam latiorem esse iudicat. De incolarum feritate crudelitateque fabulosa compererat, quare ipse addit: „*καὶ ταῦτα δ' οὕτω λέγομεν ὡς οὐκ ἔχοντες ἀξιοπίστους μάρτυρας*“ (IV, 5, 4. p. 201.). Deinde *Mela* haec narrat: „Super Britanniam Iverna est, paene par spatio, sed utrinque aequali tractu litorum oblonga: coeli ad maturanda semina iniqui, verum adeo luxuriosa herbis, non laetis modo sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Cultores eius inconditi sunt et omnium virtutum ignari, pietatis admodum

---

[114]) Plinii etiam temporibus Romana arma Britanniae notitiam non ultra vicinitatem silvae Caledoniae propagaverant. Cf. N. H. IV, 102.

expertes" (III, 6.). *Plinius* denique Hiberniae latitudinem ab Agrippa pariter ac Britanniae CCC M aestimatam esse refert, sed longitudinem CC M pass. minorem; super Britanniam hanc sitam abesse brevissimo transitu a Silurum gente XXX M pass. (N. H. IV, 102. 103.).

Iam si de *Taciti doctrina,* qualis ex geographico illo de Britannia Hiberniaque excursu animadverti potest, iudicium facturi sumus, non quantum sed quid litteris mandaverit, in primis erit nobis spectandum. Namque cum solam verborum multitudinem respicimus, priores scriptores plerumque totidem ac saepe plura quam Tacitum de illis regionibus tradidisse non negamus; sed quod illis temporibus parva tantum Britanniae pars nota erat, de interioribus maxime insulae terris aut nullam aut incertam cognitionem habebant.

At vero Tacitus, quae illi nondum comperta eloquentia percoluerint, rerum fide se traditurum ipse pollicetur. Cum enim Agricolae expeditione Britannia Romanis aperta esset, veram caeli soli incolarum notitiam ab iis, qui suis oculis ea viderant, auctor noster sibi comparare potuit ac certe comparavit. Unde factum est, ut priorum scriptorum verba Taciti narratione partim confirmarentur partim corrigerentur. Neque vero, ubi de ipsa Britannia Tacitus alia atque illi refert, maiorem ipsi fidem tribuere dubitabimus.

Iis autem quae modo monuimus, quaestio de huius excursus *fontibus* maximam partem iam absoluta esse nobis videtur. Etenim ipsas res *ex iis qui in Britannia aut stipendia meruerant aut negotiati erant, praecipue ex ipso Agricola* [115])

---

[115]) Cf. Agr. 24: „*Saepe ex eo audivi* legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse."

socero suo sciscitatus est. Sed externam quasi excursus speciem componendique rationem si consideramus, libros *Caesaris*, quem c. 11., *Livii, Fabii Rustici*, quos c. 10. ipse aperte laudat, in manibus eius fuisse merito opinamur. Nam ex iis, quae apud Caesarem Diodorum Strabonem Melam de Britannia leguntur, Livium quoque et Fabium Rusticum, ubi rerum gestarum ordine occasio data esset, de situ forma magnitudine vicinitate caelo solo incolis insulae illius parum notae aliquid monuisse sine ulla temeritate concludere licet. Ipse enim Tacitus refert, quam illi Britanniae formam mente conceperint. Ac nisi scripta eorum adversa nobis fortuna erepta essent [116]), inde haud scio an intellecturi simus nostrum auctorem ut Caesaris ita illorum exemplo usum suam de Britannia narrationem certo quodam ordine disposuisse.

Quae Tacitus de caeli terraeque natura Agricolae inseruit, iam supra tractavimus.

Historicus Taciti de Britannia *excursus*, quo Romanorum res ibi a Caesare usque ad Agricolam gestas quam brevissime complectitur (cc. 13—17.), iam a *Wexio* [117]) fusius examinatus est; laudavisse igitur eius librum satis erit.

E quibus autem *fontibus* Tacitus brevem illam rerum gestarum recensionem, qua primum rerum scriptoris virtutem ostendit, derivaverit, rectissime meo quidem iudicio indicat *Meierotto*: „Quaecunque Iulius Caesar de Britannia, quam

---

[116]) Quidquid ex Livio scimus, paucis his verbis continetur: „Caesar . . . Oceano in Britanniam, primo parum prospere tempestatibus adversis, traiecit, iterum felicius; magnaque multitudine hostium caesa aliquam partem insulae in potestatem redegit.“ *Liv. Epit.* CV.

[117]) L. l. Prolegg. IV. „Romanorum in Britanniam expeditiones.“ p. 180—198.

Romanis aperuit, sane non contemnenda in commentarios retulerat, ea non curare videtur, *quicquid* vero *praefecti et proconsules* eius, quod describit aevi, *per omnes annos* de ista insula, deque rebus a se ibi gestis *Romam publice perscripserant,* id adeo diligenter in Agricolae vitam (c. 13—17) transtulit, quasi de manu in manum ad posterorum memoriam transmittendum sibi foret commissum" [118]). Quod non impedit, quo minus etiam *Fabii Rustici* historias, quatenus is res narraverat [119]), respexisse existimetur.

---

[118]) „Fontes quos Tacitus in tradendis rebus ante se gestis videatur sequutus paucis indicat *J. H. L. Meierotto.*" Berol. 1795. fol. p. 14.

[119]) Cf. Ann. XIII, 20; XIV, 2; XV, 61.

III.

Quam doctrinam in libro de Germania scripto exhibeat Tacitus.

Liber de Germania scriptus inter historica Taciti scripta etiam magis quam Agricola singularem quendam locum obtinet, tum quod non tam res gestae narrantur quam terrae gentesque describuntur, tum quod et terrarum et gentium illarum natura a Romanorum patria ac moribus omnino est diversa. Ac Germanici in primis grammatici semper ad excutiendum illum librum alliciebantur; neque vero de ullo Taciti libro hominum doctorum opiniones magis inter se differunt.

Iam enim *cur Tacitus de Germania scripserit*, alii alio modo explicuerunt [120]). Sed is Agr. 3. historiae suorum temporum componendae consilium se cepisse indicat [121]); quod ad nihil aliud nisi historiarum editionem pertinere potest. Atqui Germaniam, cuius in Agricola ne verbo quidem mentio inicitur, paulo post Agricolae vitam eodem anno 98. p. Chr. esse scriptam [122]), historias contra compluribus annis interiectis in lucem emissas pro certo scimus.

---

[120]) Varias de ea re sententias vide apud *Haasium* l. l. p. XIX sqq.

[121]) *Agr. 3:* „Non tamen pigebit . . . memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. hic *interim* liber“ etc.

[122]) Id ex illo loco *Germ. 37.* elucet: „altero Traiani consulatu.“

Ea igitur res iam non mira aut difficilis esse videbitur, si *Germaniam ad historias quoquo modo referendam esse* concesseris.

Ac Tacitus, ubi rerum gestarum serie ducitur ad tradendum Romanorum concursum cum peregrina aliqua natione, quae nondum satis nota ac tamen memoratu digna videatur, numquam fere, prius quam rerum ordinem continuet, vel paucis vel multis verbis populi illius sedes moresque narrare praetermittit. Hac quidem in re exemplum ab Romanis superioris aetatis rerum scriptoribus velut Sallustio Caesare Livio datum sequitur. Ita iam in Agricola Britanniae descriptionem cognovimus; in historiis excursum de Iudaeis invenimus; huc etiam quae de cultu Veneris Paphiae et Serapidis traduntur, pertinent. Nonne igitur Tacitum, cum in historiis de Germanis ei agendum esset, de maxima illa natione copiosius disseruisse recte colligimus? At vero ex primi historiarum libri capite altero, quo tamquam argumento totius operis summa continetur, eum excursui huic locum fuisse animadvertimus, *ubi bella cum Sueborum gentibus referrentur.* Sed haec ipsa historiarum pars fortunae invidia intercidit [123]).

---

[123]) Hac in expositione opinionem, quam *Alex. Riesius* (*Eos* II. p. 193—203: „Die ursprüngliche Bestimmung der Germania des Tacitus") tuetur, vindicavimus, quod suspicionum spinis omnino fere caret. At obieceris fortasse, iam eo bello quod cum Iulio Civili gesserint, Romanos cum Germanis concurrisse, itaque, si vera esset Riesii sententia, multo prius Germanorum in historiis mentionem fuisse faciendam. Sed hanc difficultatem, ubi historiarum quasi argumentum I, 2. respexeris, prorsus enucleari optime Riesius monuit. Etenim cum „*Galliae* nutantes" manifesto ad Batavorum rebellionem pertineant, Tacito ibi non de Germanorum transrhenanorum auxiliis, sed potius de ipsis Batavis dicendum fuisse consentaneum est. Sed dabatur alia ac multo opportunior excursus de Germanis inserendi occasio. Nam Domitiano imperante circa annos 85—86. p. Chr. nationes barbarae Danubium accolentes Germanorum, Sarmatarum, Dacorum arma contra Romanos tulerant; quae bella

Propterea igitur quod in historiarum libris res contra Germanos gestas tractare debebat, Tacitus ut in Germanorum patriam moresque inquireret, vel maxime adducebatur. Sed quae omnis illius laboris causae afferri solent, iis fortasse factum est, ut materiam inter ipsa studia accrescentem in libri formam redigeret eumque multo ante historias ederet. Hunc autem librum illo historiarum loco non totum, qualis nunc exstat, insertum fuisse per se intellegitur; etenim maximus eius modi excursus, quo de Iudaeis agitur, non plus novem capita complectitur. Quae igitur sex et quadraginta capitibus de Germania narraverat, in breve coacta Tacitum in historiarum libris repetiisse probabile nobis esse videtur [124]).

Quidquid libro de Germania scripto continetur, cum non ad memoriam rerum Taciti aetate gestarum pertineat, in excursuum numero habendum est. Quod si ad doctrinam Taciti ex Germania indicandam accedimus, disceptationem nostram ita coerceamus oportet, ut Ptolemaeo excluso ea tantum, quae ante Tacitum veteres auctores de Germania noverint, conferamus. Difficultates autem in ipsis rebus insitas, quas

---

Hist. I, 2. his verbis indicantur: „coortae Sarmatarum ac *Sueborum* gentes". Hoc igitur loco Tacitus de Germania disseruisse existimandus est. Cf. Eos II. p. 197 sqq. Contra *Teuffelius* nuper („Abhdlg. über Sallustius und Tacitus" p. 32.) haec monuit: „Für die Zeit welche die Historiae behandeln war der Gegenstand der Germania von keiner überwiegenden Bedeutung, daher sich diese schwerlich . . . als Vorarbeit für jene wird bezeichnen lassen." Sed hanc suam sententiam cum nulla ratione confirmaverit, etiam nunc a Riesio stamus.

[124]) Cf. *Ries.* l. l. p. 201 sq. In primis p. 202. singula quaedam animadvertenda sunt, quibus, ut bene ille monuit, Germaniam ad historias referendam esse probatur. Neque vero id assentimur, exordium Germaniae conclusionemque oratoria arte splendidam nobis periisse. Primis enim Germaniae verbis continuo exordii commentariorum de bello Gallico a Caesare scriptorum memoria excitatur atque extremis his verbis: „quod ego ut incompertum in medio relinquam" libellus etsi non rhetorice tamen ex ipsa re concluditur.

hominibus Germanicarum antiquitatum studiosis dissolvendas relinquimus, singulas accurate examinare nec possumus nec debemus.

Ac *Germaniae vocabulum* Tacitus recens esse dicit et nuper additum; primum enim nomen Germanorum proprium fuisse eius nationis, quae prima Rhenum transgressa Gallos sedibus expulerit et postea Tungri vocata sit; victricis nationis nomine paulatim ceteras quoque nationes a Gallis appellatas esse [125]) ac postremum ipsas illas nationes hoc inventum (sc. a Gallis) nomen sibi indidisse (Germ. 2.). Haec apud nullum alium scriptorem reperiuntur. Ut autem Germanorum nomen a Gallis originem duxisse probabile est, ita ab ipsis Germanis omnibus id acceptum esse vix crediderís [126]).

---

[125]) Ita sane illud „a victore ob metum“ interpretandum est, *ad nomen victoris* a Gallis metu perculsis, non *a victore* ipso reliquos quoque Germanos vocatos esse. *Ritteri* autem coniectura „*e* victore“ nec necessaria est, si sensum respexeris, nec, si sermonis Latini usum, egregia. Contra *Waitzius* „Deutsche Verfassungsgeschichte“ I. p. 25. ed. II. Taciti locum sic explicat: „Anfangs hiessen die Tungri Germani; von ihnen aber, die siegreich in Gallien eingedrungen waren, wurden alle Stämme jenseits des Rheins mit demselben Namen genannt; sie wollten den Galliern andeuten, dass diese desselben Stammes seien, wie sie (die Tungrer), und so ging der Name des Stammes auf das ganze Volk über, wurde von diesem selbst angenommen und gebraucht.“

[126]) Tacitus non e suo ingenio rem explicat, sed relata refert („quidam . . . adfirmant“). Cf. *Zeussius* „Die Deutschen und die Nachbarstämme“. München. 1837. p. 60. annot.: „Noch nebenbei enthält die wahrscheinlich von irgend einem unkritischen, die Verschiedenheit der Sprache der Kelten und Germanen nicht beachtenden Römer, unmöglich von einem Deutschen stammende Notiz Unzulässiges. Vom deutschen Stamme soll Germani als Gesammtbezeichnung angenommen worden sein. Aber so wenig konnte der keltische Name in die Sprache der Deutschen übergehen, als der deutsche Name Wenden in das Slavische übergegangen ist, und sein Gebrauch bei Deutschen wird nur für ihren Verkehr mit den Auswärtigen, Römern und Kelten, sich zugeben lassen können.“

Sed illud nomen, etiam si fastos triumphales Capitolinos missos faciamus, iam *Ciceroni*, deinde *Caesari* [127]) et *Straboni* notum erat. Veterum autem multos id non proprium sed appellativum usurpavisse, quasi Germani Gallis genere propinqui essent, apparet ex *Strabone* (VII, 1, 2. p. 290.) et ex ioco illo militari apud *Velleium* (II, 67, 4.) [128]).

Deinde *fines* Germaniae Tacitus eosdem tradit (c 1.) ac *Mela* (III, 3.), nisi quod hic meridiem versus usque ad Alpes eam pertinere dicit. Occidentem versus Germaniam Rheno flumine terminari, etiam *Caesar* (B. G. I, 1; IV, 4. etc.) et *Strabo* (VII, 1, 3. p. 290.) consentiunt.

De *Rheni* autem fontibus cursu ostiis Tacito (c. 1; cf. Ann. II, 6.) cum *Caesare* (B. G. IV, 10. 15.), *Strabone* (IV, 3, 3. p. 192.), *Plinio* (N. H. III, 135; IV, 101.), *Mela* (III, 2.) convenit. Sed lacum Brigantinum (*Plin.* N. H. IX, 63.) sive Venetum (*Mela* III, 2.), cuius iam *Strabo* etsi nomen non appellat, tamen notitiam habet (IV, 3, 3. p. 193; VII, 1, 5. p. 292.), Tacitus nusquam commemorat.

Quae de *Danubii* cursu scribit (c. 1.), maxime cum *Plinio* (N. H. IV, 79.) congruunt. Minus accurate *Strabo* (VII, 1, 1. p. 289.) eum fluvium *ἀπὸ τῶν Γερμανικῶν ἄκρων τῶν ἑσπερίων*, *Mela* (II, 1.) in Germania oriri referunt. *Caesar* (B. G. VI, 25.) breviter tantum, ut Hercyniae silvae magnitudinem demonstret, Danubium attingit.

Ex reliquis Germaniae fluminibus nullum in hoc libro nominatur praeter *Albim*, qui in Hermunduris oritur (c. 41.). *Strabo* (I, 2, 1. p. 14.) Germaniam in duas partes Albi dividi auctor est. Apud *Plinium* (N. H. IV, 100.) inter alia

---

[127]) B. G. II, 4: Condrusi Eburones Caeroesi Paemani „uno nomine Germani appellantur“. Etiam VI, 32. Segni Condrusique Germani vocantur. Cf. *Zeuss.* l. l. p. 212 sqq.; *Waitzius* l. l. p. 25.

[128]) „De germanis, non de Gallis duo triumphant consules.“ Lepidus enim Plancusque fratres suos proscripserant.

fluminum in oceanum exeuntium nomina Albim quoque invenimus. Solum nomen etiam *Mela* (III, 3.) prodit.

Hercyniae silvae nomine veteres omnia Germaniae iuga saltusque trans Danubium comprehendebant; velut *Caesar*, qui eius latitudinem novem dierum iter expedito patere narrat, neque quemquam esse qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter sexaginta processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit (B. G. VI, 25.); ac *Mela* (III, 3.) aperte Caesarem secutus eandem magnitudinem illius silvae refert. Idem certe de Hercynia silva cogitat *Strabo*, qui apud eam Danubium nasci in eaque Suebos Boios Getas habitare dicit (cf. IV, 5, 9. p. 207; VII, 1, 3. p. 290; 1, 5. p. 292; 2, 2. p. 293; 3, 1. p. 295.), et ipse *Plinius* (N. H. IV, 80. 100; cf. X, 132; XVI, 6.). Neque aliter eam Tacitus intellexit, quod c. 28. Helvetios intra Rhenum Moenum Hercyniam silvam habitasse atque in eadem silva Chattorum quoque sedes fuisse c. 30. contendit [129]); idque tanto veri similius est, quod praeter eam nullos Germaniae montes uno Abnoba excepto (c. 1.) nominat. In annalibus demum (I, 56; XII, 28.) Chattorum in terra mons Taunus, quem cum Rheticone *Mela* (III, 3.) altissimum Germaniae esse iudicat, a Tacito commemoratur; unde eum quoque montem in libro de Germania scripto silva Hercynia comprehensum esse non temere suspicamur.

Tum de universa *terrae natura* idem quod Tacitus (cc. 2. 5.) narrat, etiam apud *Melam* (III, 3.) legimus: „terra ipsa multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, et magna ex parte silvis ac paludibus invia.“ Silvas Hercynii saltus

---

[129]) Cf. *Zeuss*. l. l. p. 2 sqq. Nonnulli apud Tacitum certos quosdam montes Hercyniae silvae vocabulo significari arbitrantur, ut Bohemiae montes c. 28., saltum quem nunc Odenwald vocamus et Taunum c. 30. Sed ea opinio illis locis, quibus non silvae Hercyniae sed gentium eam incolentium termini declarantur, minime inniti potest.

glandiferi maxume generis omnes esse affirmat *Plinius* (N. H. XVI, 6.).

Solum aptum exsistere colendis frugibus et Tacitus (cc. 5. [130]) 26. 45.) et *Caesar* (B. G. IV, 1; VI, 22.) testantur, nominatimque hordeum a Tacito (c. 23.), a *Plinio* (N. H. XVIII, 149.) avena appellatur. Frugiferarum arborum terra est impatiens (c. 5.), agrestia tantum poma nascuntur (c. 23.) [131]). Linum a Germanis cultum esse ex muliebris vestitus descriptione (c. 17.) et ex *Plinio* (N. H. XIX, 9.) discimus. Deinde Germaniam e generibus animalium proferre armenta, quibus suus honor aut gloria frontis desit, et pecora plerumque improcera, c. 5. (cf. c. 21.) Tacitus refert; equos non forma, non velocitate conspicuos fuisse, praeter eum (c. 6; cf. c. 10.) etiam *Caesar* (B. G. IV, 2.) tradit. Quae apud Caesarem (B. G. VI, 26—28.) et *Plinium* (N. H. VIII, 38. 39.) de bobus cervi figura, alcibus, uris, equorum ferorum gregibus produntur, in nostro libro prorsus omissa sunt; uri tamen Ann. IV, 72. nominantur [132]). Non multum ferri in Germania nasci, ex telorum genere Tacitus colligit (c. 6; cf. cc. 43. 45.); argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubitat, nec tamen affirmare audet nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere (c. 5.). Sed Ann. XI, 20. scribit Curtium Rufum in agro Mattiaco reclusisse

---

[130]) „*Satis* ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda.“ Si quis forte haeserit, *satis* pro ablativo an adverbio habendum sit, omnem dubitationem abiciet collato hoc loco *Sallusti* (Iug. 17.), ubi de Africa dicit: „ager *frugum* fertilis, bonus pecori, arbore infecundus.“ Quae verba manifesto nostro scriptori obversata sunt; atque hic quoque structurae mutationem bene notaveris.

[131]) Huc illud „virgam frugiferae arbori decisam“ c. 10. referendum esse videtur, nisi forte ipse sibi Tacitus contradixit. Hoc vero factum esse nego.

[132]) Nipperdeii coniectura „taurorum“ quamvis elegans non admittenda nobis esse videtur. Cf. *Urlichsius* in „N. Jahrb. f. Phil. und Paed.“ vol. LXIX. p. 161.

specus quaerendis venis argenti, unde tenuem fructum nec in longum fuisse. Si *Plinii* de sucino expositionem (N. H. XXXVII, 42. 43. 46.) cum Germaniae c. 45. comparaveris, Tacitum omnia iisdem fere verbis repetiisse invenies.

Cum iam *Caesar* Germaniae *incolas* multum a Gallis differre scite litteris mandaverit (B. G. VI, 11.), merito miramur, quod *Strabo* (VII, 1, 2. p. 290.) Germanos Gallis genere propinquos esse neque ab iis victu cultuve diversos existimaverit. Gravissime vero Tacitus Germaniae populos nullis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et *tantum sui similem* gentem extitisse contendit (cc. 2. 4.).

Atque a *Plinio,* qui quinque Germanorum genera enumerat (N. H. IV, 99. 100.), ita discrepat, ut indigenarum famam secutus tria tantum, quibus singulae nationes contineantur, commemoret.

Miram esse *corporum* magnitudinem et Tacitus (cc. 4. 20.) et *Caesar* (B. G. I, 39; IV, 1.) et *Strabo* (VII, 1, 2. p. 290.) et *Mela* (III, 3.) et *Velleius* (II, 106.) concinunt; oculi eorum caerulei et truces; comae rutilae etiam a *Strabone* (l. l.) et *Plinio* (N. H. II, 189.) nominantur. Sueborum insigne erat obliquare crinem nodoque substringere: sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separabantur (c. 38.). Decorum fuisse feminis comam alere ac promittere ex eo elucet, quod capilli adulterarum abscidebantur (c. 19.).

Vestimentum omnibus erat sagum fibula aut spina consertum; locupletissimi veste distinguebantur stricta et singulos artus exprimente; etiam ferarum pelles gerebantur. Neque alius feminis quam viris habitus erat, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velabantur (c. 17.). Hoc etiam *Plinius* (N. H. XIX, 8.) refert: „nec pulchriorem aliam vestem eorum“ (sc. transrhenanorum hostium) „feminae novere.“ *Caesar* ferarum tantum pelles appellat (B. G. IV, 1; VI, 21.). *Mela* partim cum nostro scriptore consentit, cum viros sagis velatos esse aut libris arborum tradit (III, 3.); idemque

cum Tacito (c. 20.) congruit Germanos antequam puberes sint maxime frigora nudos agere (III, 3.).

Tum quae de *habitandi* modo apud Tacitum reperiuntur (c. 16.), compares velim cum *Strabone* (VII, 1, 3. p. 291.), qui Germanos ἐν καλυβίοις degere narrat, et *Plinio* (N. H. XIX, 9.), qui de lini texendi arte disserens haec scribit: „In Germania defossi atque sub terra id opus agunt.“ Cum autem Tacitus nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum esse asseverat, Romanas certe urbes, quibuscum Germanorum sedes profecto conferri nullo pacto poterant, in mente habet; neque sibi contradicit, cum Ann. I, 56. Mattium Chattorum caput nominat, neque a *Caesare*, apud quem oppida Sueborum (B. G. IV, 19.), oppida Ubiorum (VI, 10.) vocantur, refellitur. Qualem speciem illa oppida vel vici aedificiaque Sugambrorum (*Caes.* B. G. IV, 19.) praebuerint, ex Taciti descriptione (c. 16.) facile est animo fingere.

Cibi simplices erant, agrestia poma, recens fera aut lac concretum (c. 23.). *Caesar* quoque auctor est (B. G. IV, 1.) non multum Germanos frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivere multumque esse in venatione (cf. B. G. VI, 22; *Strabo* VII, 1, 3. p. 291.). Praeterea refert *Mela* (III, 3.): „Cruda etiam carne vescuntur, aut recenti aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovarunt.“ De piscibus (*Caes.* B. G. IV, 10; *Plin.* N. H. XVI, 3.), ovis avium (*Caes.* IV, 10.), pulte ex avena concocta (*Plin.* N. H. XVIII, 149.) silet Tacitus. Deinde *potui* Germanis erat humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus [133]). Proximi ripae et vinum mercabantur (c. 23.). Quod factum esse negat *Caesar* (B. G. IV, 2.): „Vinum ad se omnino impor-

---

[133]) Idem fere narrat *Plinius:* „Ex iisdem“ (frugibus) „fiunt et potus, zythum in Aegypto, caelia et cerea in Hispania, cervesia et plura genera in Gallia aliisque provinciis“ (N. H. XXII, 164.).

tari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur" (cf. II, 15.).

Tum quibus maxime rebus *occupentur* Germani et quo modo *tempus terant*, a Tacito passim cc. 4. 14. 15. 20. 22. describitur. Belli eos praecipue studiosos fuisse, in pace multum temporis venatione transegisse, etiam apud *Caesarem* (B. G. IV, 1; VI, 21.) et *Melam* (III, 3.) legimus. Ab iisdem auctoribus etiam perhibentur Germani corpora adversus frigora obdurasse (*B. G.* IV, 1; *Mel.* III, 3.).

Praeter ea, quae Tacitus de *belli gerendi more* tradit (c. 6.), ex *Caesare* cognoscimus maximam civitatibus laudem esse quam latissime circa se vastatis finibus solitudines habere (B. G. VI, 23; cf. IV, 3; *Mela* III, 3.), deinde Germanos equestribus proeliis saepe ex equis desilire ac pedibus proeliari, equosque eodem remanere vestigio assuefecisse, ad quos se celeriter, cum usus sit, recipiant; neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius haberi, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis paucos adire illos audere (B. G. IV, 2.).

Tum *hospitalitatem* Germanorum et Tacitus (c. 21.) et *Caesar* (B. G. VI, 23.) et *Mela* (III, 3.) laudibus extollunt. Item *morum integritas* ac *sera severaque matrimonia* (cc. 17-20.) laudantur a *Caesare* (B. G. VI, 21.) et *Mela* (III, 3.). Quod prodit Tacitus Germanos prope solos barbarorum singulis uxoribus contentos esse exceptis admodum paucis qui non libidine sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiantur (c. 17.), hoc Ariovisti regis exemplo, qui, ut *Caesar* auctor est (B. G. I, 53.), duas uxores, Suebam Noricamque, duxerat, bene illustratur.

Sed pauca illa, quae de Germanorum *religionibus* apud *Caesarem* exstant: „Neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt" (B. G. VI, 21.), multum a nostri scriptoris narra-

tione discrepant. Is enim explicate refert de sacerdotibus (cc. 7. 10. 40. 43.) [134]), de auspiciis sortibusque (c. 10.), de sacrificiis (cc. 9. 39.), atque alios deos eosque ab illis diversos appellat. Namque Tuisto [135]) deus terra editus et filius Mannus [136]) gentis conditores (c. 2.), Hercules (c. 3.) [137]), Mercurius [138]), Mars [139]), Isis (c. 9.) [140]), Nerthus (c. 40.) [141]), numen cui Alcis [142]) nomen (c. 43.), a Germanis colebantur. Ii „nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant deorumque nominibus appellant secretum

---

[134]) Caesaris verba aliquatenus cum Taciti locis ita fortasse conciliare poteris, ut Germanorum sacerdotes non separatum quasi ordinem druidum instar fuisse dicas. Cf. *Dahnius* „Die Könige der Germanen“ I. Abthlg. p. 80—84.

[135]) Cf. *Muellenhoff* „Ztschr. f. deutsches Alterthum“ IX. p. 259. Contra *Zeussius* (l. l. p. 72.) et *J. Grimmius* („Deutsche Mythologie“ ed. II. p. 176. 318.) „Tuisco“ scribendum esse censent. Illo nomine „Wodan“ gentis patrem significari auctor est *Zeuss.* l. l. p. 22.

[136]) Manni filiis haec nomina fuisse „Ingo, Isco, Hermino“ affirmat *J. Grimm.* l. l. p. 320.

[137]) Herculem pro „Thunar“ habet *Zeuss.* l. l. p. 25., *J. Grimm.* in ed. I. p. 203. pro „Seaxneât“, sed in ed. II. p. 338. pro „Irmin“.

[138]) Mercurius *Zeussio* l. l. p. 21. est „Wodan“; cf. *Grimm.* l. l. p. 122.

[139]) Marte significari „Tiu“ arbitratur *Zeuss.* l. l. p. 22. 24.

[140]) Isidem alterutram esse dearum Slavicarum „Zhiwa“ aut „Jesen“ putat *Zeuss.* l. l. p. 40. Sed „Zisa“ illa vel „Ciza“, quam deam Augustae Vindelicorum *Grimm.* l. l. p. 275. se invenisse existimat, prorsus fabulosa est.

[141]) *Zeussius* l. l. p. 26 sq.: „Nerthus“ prosthetico N corruptum esse ex „Erthus = Erde“ opinatur. Optime sane hoc cum Taciti loco congrueret, ubi Nerthus Terra mater appellatur. Sed illud N prostheticum non videtur posse probari. Cf. p. 79. *Grimmius* l. l. p. 230. vocat „Nirdu“.

[142]) „Alcis“ genitivus sing. sit an dativus plur., adhuc sub iudice lis est; neque unde derivetur liquet. *Zeussius* l. l. p. 30. intellegit „Freyr“ et „Freyja“ fratres. Valde obscuram esse hanc rem fatetur *Grimm.* l. l. p. 57. 339.

illud quod sola reverentia vident“ (c. 9.). Id quidem caute accipiendum esse videtur [143]); nam quae de Nerthi deae cultu c. 40. narrantur, nisi de aliqua imagine vix intellegi possunt, atque Ann. I, 51. haec inveniuntur: „Profana simul et *sacra* et celeberrimum illis gentibus *templum* quod Tamfanae [144]) vocabant *solo aequantur*“; quae verba nisi torqueantur vereor ne ad „parietes“ pertineant. Vaticinantes autem Germanorum feminas (c. 8.) iam *Caesar* (B. G. I, 50.) et *Strabo* (VII, 2. 3. p. 294.) noverant.

Deinde cum iis quae Tacitus de *publicis Germanorum rebus* passim litteris mandat, unius *Caesaris* nonnullos locos (B. G. IV, 1; VI, 22. 23.) comparare nobis contingit. Reges ex nobilitate sumptos esse (c. 7.) ab eo non commemoratur [145]). Sed bello oborto duces in concilio a populo esse creatos una cum Tacito (cc. 7. 13.) testatur (B. G. VI, 23.). Item de principum *comitatu* [146]) inter utrumque convenit (cc. 13. 14; B. G. VI, 23.). Caesare auctore, cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. Verum aperte repugnant haec Taciti verba (c. 7.): „Ceterum

---

[143]) Cf. *Döllinger* „Heidenthum und Judenthum“ p. 563. Taciti locum optime explicat *Waitz.* l. l. p. 46: „Sie bauen keine Tempel, sondern sie weihen den Göttern Haine, und benennen diese nach dem Namen der Götter, denen sie heilig sind; an sich, sagt Tacitus, ist der Wald ja kein Heiligthum, nur durch ihre Verehrung machen sie ihn dazu. . . . Dass bestimmte Haine einzelnen Göttern heilig waren, ist aus vielen Zeugnissen deutlich.“ Ann. II, 12; IV, 73; Germ. 40. 43.

[144]) Quae illa dea fuerit, nondum investigatum est. *Zeussius* eam ne commemorat quidem, neque *Grimm.* l. l. p. 69. 236. quidquam certi proferre potest.

[145]) Solus Ariovistus B. G. I, 31. rex vocatur; sed a senatu Romanorum eum regis nomine honoratum esse ex cc. 35. 43. apparet.

[146]) Cf. *Sybelius* „Entstehung des deutschen Königthums“ p. 144 sqq. *Waitzius* l. l. p. 356 sqq. Caesaris locum nullo modo ad comitatum pertinere censet.

neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.“ In pace nullum esse *communem* magistratum, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicere controversiasque minuere (B. G. VI, 23.) a Tacito confirmatur ac copiosius exponitur (c. 12.). Tum Suebos Caesar compererat *centum pagos* habere, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus educant; reliquos, qui domi manserint, se atque illos alere; hos rursus in vicem anno post in armis esse, illos domi remanere; sic neque agri culturam nec rationem atque usum belli intermitti (B. G. IV, 1.). Haec cum Taciti narratione partim concinunt partim differunt. Namque is Semnones tantum Sueborum nobilissimos centum pagis habitare refert (c. 39.); tamen c. 6., ubi de universis Germanis sermo est, centenos, neque vero singula milia, ex singulis pagis in bellum proficisci tradit: unde, cum numerum definitum esse addat, non temere concludi videtur reliquas quoque gentes in centum pagos fuisse divisos, Caesarisque locum hac ex parte cum Tacito posse conciliari. At agri culturam viros non curasse sed feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia delegasse Tacitus asseverat (c. 15.) [147]).

Tum *de agrorum possessione* Caesar ita scribit: „Privati ac separati agri apud eos nihil est“ (B. G. IV, 1.). „Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum et quo loco visum est agri attribuunt“ (B. G. VI, 22.). Contra Tacitus: „Agri pro numero cultorum ab universis in vices occupan-

---

[147]) Vocabula ad rem publicam Germanorum pertinentia, quibus Caesar et Tacitus utuntur, magna cum diligentia contulit *Dahnius* l. l. p. 40—97. Cf. etiam quae ibidem de publicis Germanorum rebus in universum disceptantur p. 3—38.

tur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur“ (c. 26.) [148]). Unumquemque certum agri modum accepisse apparet ex c. 25., ubi de servis legitur: „Suam quisque sedem, suos penates regit. *Frumenti modum dominus* aut pecoris aut vestis *ut colono iniungit*“; deinde ex c. 15: „Mos est civitatibus ultro ac *viritim* conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit“; denique ex c. 16: „Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.“ Sed uterque idem *de annua agrorum mutatione* prodit; nam Caesare teste „non longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet“ (B. G. IV, 1.); magistratus ac principes „anno post alio transire cogunt“ (VI, 22.). Similiter Tacitus: „Arva per annos mutant, et superest ager“ (c. 26). Hoc tamen animadvertendum est, Taciti aetate intra certos fines ab universa aliqua gente antea occupatos annuam illam agrorum mutationem intercessisse [149]). Rem sic accipe: terra adeo late patet („camporum spatia facilitatem partiendi praebent“ ... „cum

---

[148]) *Dahn.* l. l. p. 3. annot.: „Die hundertundfünfzig Jahre, die zwischen Caesar und Tacitus liegen, haben hierin offenbar grosse Veränderungen gesehen.“

[149]) *Sybel.* l. l. p. 6 sq.: „Caesar schildert einen jährlichen Wechsel nicht bloss in der Art, dass die grösseren Gemeinden (gentes) zwar verbunden bleiben, aber nach Jahresfrist an einem andern Orte wohnen — sondern der Wechsel der Ländereien dringt auch in das Innere der Gemeinden ein, und jede natürliche Familie (cognatio) erhält nach dem Ablaufe des Jahres einen neuen Wohnsitz.“ Ib. p. 8: „Bei Tacitus scheint, was die jährlichen Wechsel betrifft, auch die Rücksicht auf die stets sich ändernde Zahl der Bebauer und die stets gleich bleibende Bodenfläche unverkennbar durch. Weil kein Jahr ohne solche Aenderungen vergeht, wird in jedem Jahre der Besitz neu geregelt. Sonst erscheint bei T. allerdings schon grössere Stetigkeit als bei Caesar. Die Gemeinden sind, oft in Dörfern vereint, fest am Orte . . .; aber innerhalb der Gemeinden bleibt das Gesetz des jährlichen Wechsels, wenn auch nach unserer Meinung nur als facultatives, in Kraft.“ Cf. *Zeuss.* l. l. p. 52 sqq

amplitudine soli labore non contendunt"), ut quotannis agros serendos („arva") mutare possint („in vices [150]) occupantur agri"), ac tamen ager incultus supersit. Ita locus ille difficillimus atque ab interpretibus distortus nobis explicandus esse videtur. Eam autem agri culturae rationem quam nos „Dreifelderwirthschaft" vocare consuevimus, maioribus nostris iam hanc unam ob causam tribuere nequimus, quod eos agris colendis nullam fere operam dedisse ex Caesare (B. G. IV, 1; VI, 22.) et Tacito (c. 26.) compertum habemus. At si quis forte obiecerit magnam ex nostra interpretatione difficultatem nasci, quod tum agri alendis tot hominibus non fuerint suffecturi, evolvat, quaeso, Caesarem et Tacitum, qui Germanos non multum frumento, sed lacte et carne vixisse testantur; adeo Tacitus c. 23., quo Germanorum alimenta enumerat, frumentum silentio praetermittit.

Verum enim vero de omnium Germanorum moribus ritibus institutis non solum accuratius explicatiusque quam superiores auctores agit *Tacitus*, sed etiam *pleraque unus memoriae tradit;* etenim solus ille refert de *numero non dierum sed noctium computato* (c. 11.), de *iudiciis poenisque* (c. 12.), de *matrimonio ac dote* (c. 18.), de *hereditate* (c. 20.), de *talione* (c. 21.), de *ebrietate* (c. 23.), de *alea* (c. 24.), de *saltatione inter gladios ac frameas a iuvenibus institui solita* (c. 24.), de *servorum condicione* (c. 25.), de *funeribus* (c. 27.).

Iam quae *de singulis Germanorum gentibus* a Tacito exhibentur, examinemus. Ac primum quidem aliam Germanorum divisionem offendimus apud *Plinium* (N. H. IV, 99. 100.); quinque enim genera ab eo enumerantur: 1) *Vandili,*

---

[150]) *Kritzius* unum Bamberg. codicem secutus in textu posuit „ab universis vicis". Idem probatur *Waitzio* l. l. p. 104 sq.; 132 sqq. *Ritterus* in novissimae suae editionis textum recepit „[invicem]" uncis inclusum. Veram lectionem „in vices" tuentur Gerlachius, Zeussius, Sybelius, Orellius, Halmius, alii.

quorum pars Burgodiones, Varini [151]), Gutones; 2) *Ingyaeones,* quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes; 3) *Istiaones* proximi Rheno [152]); 4) mediterranei *Hermiones,* quorum Suebi, Hermunduri, Chatti, Cherusci; 5) *Peucini*, Basternae contermini Dacis. Contra Tacitus tria genera appellat, *Ingaevones*, *Herminones, Istaevones* (c. 2.) [153]), nec tamen eam partitionem deinde respicit. Addit autem: „quidam pluris deo ortos plurisque gentis appellationes, *Marsos, Gambrivios, Suebos, Vandalios* adfirmant, eaque vera et antiqua nomina". Ne ex his quidem nominibus in Germania amplius nominantur Marsi (cf. Ann. I, 50. 56; II, 25; Hist. III, 59; *Strabo* VII, 1, 3. p. 290.), Gambrivii (*Γαμαβρίουιοι Strab.* VII, 1, 3. p. 291.), Vandalii.

Paucissima sunt quae apud *Melam* reperimus; nihil enim de Germaniae populis ab eo perhibetur praeterquam quod ultra Cimbros Teutonosque Hermiones Germaniae ultimos esse dicat (III, 3.).

Tungri, quos primos Germanorum Rhenum transgressos esse Tacitus narrat (c. 2.), neque apud Caesarem neque apud Strabonem commemorantur, a *Plinio* autem inter Galliae populos nominantur (N. H. IV, 106; XXX, 12.) [154]).

---

[151]) „Charini" tamquam iteratum ex „Varini" expungendum esse censet *Urlichsius* „Vindiciae Plinianae" fasc. I. p. 63.

[152]) „quorum Cimbri", quod repetitum sit ex „quorum pars Cimbri", delet *Urlichs.* l. l. „Sicambri" legit Spener ap. Detlefsen.

[153]) *Zeuss.* l. l. p. 70: „Auf welcher Seite das Wahre und Echte liegt, ist nicht schwierig zu entscheiden; des Plinius Anordnung zeigt sich näherer Betrachtung bald als eigenmächtige Compilation." Ib. p. 71: „Tacitus bietet die Quelle selbst, den Inhalt des einheimischen Liedes vom Ursprunge des Volkes."

[154]) *Zeussius* l. l. p. 214. opinatur „dass an die Stelle des Namens Eburones, der nach Caesar nicht wieder genannt wird, Tungri getreten ist." *Waitzius* l. l. p. 25: „Dieser Name (Tungri) hatte die von Caesar aufgeführten besonderen Namen verdrängt und galt für alle jene Völkerschaften." Cf. annot. 127.

„*Treveri* et *Nervii* circa adfectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur“ (c. 28.). Quos pro Gallis habuisse Tacitum cum ex hoc loco tum ex Hist. IV, 15. probatur. Idem sentiunt *Caesar* [155]) et *Plinius* (N. H. IV, 106; XXXI, 12.). Sed *Strabo* utramque gentem in Germanis habendam esse falso existimat (IV, 3, 4. p. 194.).

Eodem modo quo apud Tacitum *Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii, Batavi* enumerantur (cc. 28. 29.), et ipse *Plinius* scribit: „Rhenum adcolentes Germaniae gentium in eadem provincia (Belgica) Nemetes, Triboci, Vangiones, hinc Ubii, colonia Agrippinensis, Guberni, Batavi et quos in insulis diximus Rheni“ (N. H. IV, 106.). Gubernos tantum omisit auctor noster; sed Hist. IV, 15. 26; V, 16. 18. *Gugerni,* qui iidem sunt intellegendi [156]), inveniuntur. Iam *Caesar* Rheni accolas novit Tribocos, Vangiones, Nemetes (B. G. I, 51; IV, 10.); *Ubii* autem illa aetate etiam tum dextram Rheni ripam occupaverant (B. G. I, 54.), postea Suebis vectigales solvere debebant sedibus suis expulsi (B. G. IV, 3.). Eos ab Agrippa in sinistram Rheni ripam translatos esse cum *Strabone* (IV, 3, 4. p. 194.) refert Tacitus Ann. XII, 27: „Agrippina in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum e vocabulo ipsius, ac forte acciderat ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.“ His igitur verbis ipse suam sententiam, quam Germ. 28. protulerat, bene retractat; namque cum scriberet: „Ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses *conditoris sui nomine* vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni

---

[155]) B. G. II, 15. Nervii Belgarum pars vocantur. „Treveri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis.“ B. G. II, 24.

[156]) Cf. *Zeuss.* l. l. p. 85.

ripam (sc. ab Agrippa) collocati": Agrippam falso pro coloniae Agrippinensis conditore habuerat.

Deinde *Batavorum* sedes pariter indicantur a *Caesare* (B. G. IV, 10.), *Plinio* (N. H. IV, 101.), *Tacito* (c. 29; Hist. IV, 12.). Sed hic solus commemorat Batavos Chattorum quondam populum seditione domestica in eas sedes transgressos esse, in quibus pars Romani imperii fierent. Ac monendum est, quidquid de Batavis Hist. IV, 12. legimus, ex Germ. 29. Tacitum repetiisse: quo novo utimur argumento ad opinionem nostram confirmandam, librum de Germania scriptum cum historiis artius cohaerere.

Porro nova sunt, quae de *Mattiacis* c. 29. traduntur. Cuius gentis ne nomen quidem occurrit nisi apud unum *Plinium*, qui haec narrat: „Sunt et Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet, circa margines vero pumicem faciunt aquae" (N. H. XXXI, 20.). In agro Mattiaco specus quaerendis venis argenti reclusae erant (Ann. XI, 20.). Eademque gens cum Chattis et Usipis Mogontiacum obsederat (IV, 37.).

Tum unus Tacitus *agros decumates* nominat (c. 29.); quos Domitiano imperante a Romanis subactos esse veri simillimum videtur.

Perinde nova *Chattorum* est descriptio (cc. 30. 31.). Solum nomen invenimus apud *Strabonem* (VII, 1, 3. p. 291.) et *Plinium* (N. H. IV, 100.) qui Chattos Hermionum partem exhibet. Ann. XIII, 57. Tacitus bello cum Hermunduris gesto eos devictos esse refert.

Tum *Usipos* et *Tencteros* (c. 32.) una semper nominat *Caesar* (B. G. IV, 1. 4. 16.) idemque eorum equitatum laudat. Sed Usiporum sedes antea a Tubantibus, quos Tubattios vocat *Strabo* (VII, 1, 4. p. 292.), ante Tubantes a Chamavis fuisse habitatas unus Tacitus testis est (Ann. XIII, 55.).

Quod de *Bructeris*, quos maiores et minores distinguit Strabo (VII, 1, 3. p. 291.), c. 33. narratur, brevi ante ac-

ciderat. Ex iis enim quae fusius *Plinius minor* (Epp. II, 7.) rettulit discimus Bructeros, qui Hist. IV, 21; V, 18. etiam tum inter Civilis socios recensentur, bello cum vicinis nationibus exorto, cui Romanorum exercitus sub Spurinna intererat, excisos esse (Cf. *Mommsen.* Hermes III. p. 39.).

Chamavorum, Angrivariorum (c. 33.), *Dulgubniorum* (c. 34.) notitiam ex uno Tacito habemus. *Chasuarii* a *Strabone* (VII, 1, 3. p. 291; 4. p. 292.) *Χαττουάριοι* appellantur.

Porro *Frisios*, quorum sedes *Plinius* (N. H. IV, 101.) eodem modo indicat, noster scriptor solus maiores et minores discernit (c. 34.).

Chaucos autem (c. 35; *Καῦκοι* apud *Strabonem* VII, 1, 3. p. 291.) *Plinius*, qui Chaucorum gentes Ingyaeonum partem nominat (N. H. IV. 99.), obscurioribus certe quam Tacitus coloribus depingit; namque miseram eam gentem esse asseverat, quae tantum piscibus vivat. „Non pecudem his habere, non lacte ali ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit omni procul abacta frutice ... et hae gentes, si vincantur hodie a populo Romano, servire se dicunt! ita est profecto: multis fortuna parcit in poenam“ (N. H. XVI, 2—4.) [157]). Contra *Velleii* locus (II, 106, 1.) cum Tacito congruit. Ac Plinius Chaucos in maiores et minores dividit; Chauci maiores etiam a Tacito (Ann. XI, 19.) commemorantur.

---

[157]) *Zeussius* l. l. p. 141: „Auf Plinius, der hier als Augenzeuge spricht, den verwöhnten Beobachter der üppigen italischen Natur, konnte freilich der von der Meeresfluth überspülte norddeutsche Küstenrand und die Einförmigkeit der umgebenden Flächen nur einen sehr ungünstigen Eindruck machen, der ihn auch die Bewohner des Landes als ein unglückliches Geschlecht erblicken lässt. Die gerühmte Kraft und Stärke dieses Geschlechtes ist zurückgetreten in seinem Bilde, in dem nur die trübere Seite der Natur des Landes gezeichnet ist.“ De Chaucis cf. etiam *L. J. F. Janssenium* in „Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande“ fascic. XLIII. p. 57 sqq.

Tum *Cheruscos* (c. 36.) silva Baceni (Harz) ab Suebis Suebosque ab Cheruscis iniuriis incursionibusque prohiberi *Caesar* dicit (B. G. VI, 10.). Priscam famam a Chattis („cum quibus aeternum discordant“ Ann. XII, 28.) lacessiti amiserunt; „ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit“ (c. 36.). Germanicum de Cheruscis triumphasse (Ann. II, 41.) e *Strabone* quoque discimus (VII, 1, 3. 4. p. 291. 292.). Ex illo autem tempore quo Cherusci a Romanis Italicum regem petierunt, vires eorum imminutae esse videntur (Ann. XI, 16 sq.).

Fosorum gens Cheruscis contermina, quae illorum ruina simul tracta est, a nullo praeter Tacitum (c. 36.) scriptore commemoratur.

Ab iis qui ipsi *Cimbrorum* regionem viderant, propriam huius nationis descriptionem accepisse Tacitus videtur (c. 37.): „Parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia. quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem.“ Hac opportunitate utitur rerum scriptor ad bella, quae adhuc cum Germanis gesta sint, quam brevissime recensenda. Ac primam Cimbrorum incursionem commemorat factam, cum sexcentesimum et quadragesimum annum urbs ageret, Caecilio Metello et Papirio Carbone consulibus (quod congruit cum fastis Capitolinis); deinde mentionem inicit *cladium Papirii Carbonis consulis* (*Liv. Epit.* LXIII: „Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est.“ Cf. *Vellei.* II, 12, 2; *Strab.* V, 1, 8. p. 214.), *Cassii consulis* (ut *Livius* auctor est *Epit.* LXV., Cassius non a Germanis, sed a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est. Idem scribit *Caesar:* „Hic pagus unus (Tigurinus), cum domo exisset patrum nostrorum memoria, L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum sub iugum miserat.“ B. G. I, 12; cf. I, 7.

At veri simile est Tacitum sicuti *Orosium* V, 16. Tigurinos Gallos pro Cimbrorum sociis habuisse.), *Scauri Aurelii* (*Liv. Epit.* LXVII: „M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu captus est;“ cf. *Vellei.* II, 12, 2.), *Servilii Caepionis et Marci Manlii* (*Liv. Epit.* LXVII: „ab iisdem hostibus *Cn.* Manlius consul et Q. Servilius Caepio proconsul victi proelio castrisque binis exuti sunt;“ cf. *Vellei.* II, 12, 2. [158]), *Vari* (*Strab.* VII, 1, 4. p. 291; *Vellei.* II, 119, 1 sqq.). *Nec impune Germanos perculerunt C. Marius in Italia* (*Plin.* N. H. XVII, 2; XXXIII, 150.) *divus Iulius in Gallia* (Cf. *Caes.* B. G. passim.), *in ipsorum sedibus Drusus* (*Vellei.* II, 97, 2; *Plin.* N. H. VII, 84.) *ac Tiberius Nero* (*Vellei.* II, 97, 2; 104, 2 sqq.; 120, 5 sqq.; *Plin.* N. H. VII, 84.) et *Germanicus* (*Vellei.* II, 123, 1; 125, 4; 129, 2; *Plin.* N. H. XXXVII, 42.).

Plinius Cimbros Ingyaeonum partem esse arbitratur (N. H. IV, 99.). Maxime vero haec Plinii verba: „Septentrionalis oceanus maiore ex parte navigatus est auspiciis divi Augusti Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium“ (N. H. II, 167.) comparanda sunt cum hoc Taciti loco: „Ipsum quin etiam Oceanum illa temptavimus... nec defuit audentia Druso, Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri“ (Germ. 34.). Ad illam enim expeditionem, quae de Cimbrorum terra Tacitus tradit, referenda esse nobis persuasum est. Ac cum ipse Plinius in libris de bellis Germanicis scriptis incidere in Cimbros debuerit, ex hoc auctore Tacitum hausisse consentaneum est.

---

[158]) Praenomen „*Marcus*“ invenimus non solum apud Tacitum, sed etiam apud *Sallust.* Iug. 114. codicum plurimorum auctoritate firmatum et apud *Eutrop.* V, 1.

Contra *Liv.* VI, 20: „Gentis Manliae decreto cautum est, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur.“ Itaque legimus apud *Liv. Epit.* LXVII. „*Cneius* Manlius“, in Inscr. Lat. Orell. n. 3697. „*Cn. Mallius*“. Cf. *Orellium* ad Germ. 37.

Etiam in *monumento Ancyrano* [159]) Cimbri nominantur: „Cimbrique et Charudes et Semnones et eiusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt.“ Conferendus est *Strabo,* qui copiose de Cimbris agit (VII, 2, 1—3. p. 292—294.).

„Nunc de *Suebis* dicendum est“, pergit Tacitus c. 38. Neque immerito *Riesius* Tacitum hoc loco historiarum libros respexisse opinatur. Ac profecto mirus ille narrationis transitus optime intellegitur, si nostrum auctorem bellis Suebicis (Hist. I, 2.) ad excursum de Germania historiis inserendum concedimus fuisse adductum atque hunc libellum operae ad historias edendas pertinentis quasi fructum esse statuimus.

Sueborum igitur nomine, quippe quo vagantes populi significentur, apud Tacitum et Strabonem nationes *orientem* versus habitantes comprehendi, apud Caesarem gentes *occidentalem* citra Albim terram incolentes ac postea propriis Chattorum Hermundurorumque nominibus appellatas intellegi *Zeussius* vir doctissimus demonstravit (l. l. p. 55 sqq.; 94 sq.) [160]). Cum hac sententia bene congruunt *Caesaris* loci B. G. IV, 1—4., ubi Usipetes Tencterosque, quos *Chattis* proximos facit Tacitus c. 32., a *Suebis* trans Rhenum pulsos esse narrat, et B. G. VI, 10., ubi Cheruscos et *Suebos* invicem infestos esse tradit, cum Tacitus *Chattos* cum Cheruscis aeternum discordare refert Ann. XII, 28.

---

[159]) Ed. *Mommsen.* Tab. V. vv. 16 sqq. p. LXXX.

[160]) Cf. *Mommsen.* „R. G.“ III. p. 231. ed. IV. annot.: „Caesars Sueben sind wahrscheinlich die Chatten; aber dieselbe Benennung kam sicher zu Caesars Zeit und noch viel später auch jedem andern deutschen Stamme zu, der als ein regelmässig wandernder bezeichnet werden konnte.“

Quae de Suebis narrat Caesar, plerumque in omnes Germanos quadrare ex Tacito discimus. Plures gentes illo nomine hoc certe loco comprehenduntur: „Suebos omnes in unum locum copias agere atque iis nationibus, quae sub eorum sint imperio, denuntiare, ut auxilia peditatus equitatusque mittant“ (B. G. VI, 10.). Cf. etiam *Dahnium* l. l. p. 4.

Eodem modo quo Tacitus Suebos intellexit *Strabo* (IV, 2, 4. p. 194; VI, 6, 9. p. 207; VII, 1, 3. p. 290., ubi eos a Rheno ultra Albim habitare tradit iisque Hermondoros Lancobardosque adnumerat,) et fortasse etiam *Plinius*, qui Dacorum finitimos eos vocat (N. H. IV, 81.) et ad Hermiones pertinere existimat (IV, 100.).

De moribus Sueborum, quibus a ceteris Germanis separentur, praeter Tacitum nemo quidquam refert.

Nova sunt ea quoque, quae de *Semnonum* institutis superstitionibusque c. 39. reperimus. *Strabo* eos *τῶν Σοήβων μέγα ἔθνος* appellat (VII, 1, 3. p. 290.).

E gentibus c. 40. enumeratis *Lancobardi* tantum a *Strabone* pars Sueborum *πέραν τοῦ Ἄλβιος* (VII, 1, 3. p. 290.) et *Varini* a Plinio Vandilorum pars (N. H. IV, 99.) commemorantur. Etiam Nerthi cultum ex uno Tacito compertum habemus.

Deinde *Hermundurorum* descriptio (c. 41.) nova est; apud *Strabonem* enim (VII, 1, 3. p. 290.) et *Plinium* (N. N. IV, 100.), qui eos Hermionibus adnumerat, nihil invenimus nisi nomen.

Tum *Naristi* ab uno Tacito (c. 42.) nominantur; neque ab ullo scriptore, quae de *Marcomannis* [161]) et *Quadis* narrat Tacitus, perhibentur (cf. *Caes.* B. G. I, 51; *Strab.* VII, 1, 3. p. 290.).

Marsigni, Cotini, Osi, Buri (c. 43.) ante Tacitum nusquam appellantur. At cum c. 28. auctor noster scripserit: „Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione,

---

[161]) *Mommsen.* l. l.: „Die Marcomannen als ein bestimmtes Volk lassen sich vor Marbod nicht nachweisen; es ist sehr möglich, dass das Wort bis dahin nichts bezeichnet als was es etymologisch bedeutet, die Land- oder Grenzwehr. Wenn Caesar I, 51 unter den im Heere Ariovists fechtenden Völkern Marcomannen erwähnt, so kann er auch hier eine bloss appellative Bezeichnung ebenso missverstanden haben, wie dies bei den Sueben entschieden der Fall ist.“

an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant;" hoc loco affirmat: „Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur."

Lugios Strabo (VII, 1, 3. p. 290.) *μέγα ἔθνος* vocat Maroboduique imperio subiectos esse dicit. Unus vero Tacitus Lugiorum civitates esse tradit *Harios, Helveconas, Manimos, Elisios, Nahanarvalos*, alios; quae nomina aliis ignota sunt. Ne cultus quidem Nahanarvalorum obscurus atque Hariorum belli gerendi ratio ab aliis auctoribus commemoratur.

Tum e *Gotonibus, Rugiis, Lemoviis* et *Suionibus* (c. 44.) tantum Gutones a *Plinio* Vandilorum pars (N. H. IV, 99.) et Germaniae gens (XXXVII, 35.) nominantur.

Aestiorum quoque et *Sithonum* nomina (c. 45.) ex solo Tacito cognoscimus.

Hunc Suebiae finem esse Tacitus arbitratur; Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribat dubitat (c. 46.); *Peucinos,* quos quidam *Bastarnas* vocent, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germanos agere, connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedari narrat. Comparandus est similis *Strabonis* locus: „*Βαστάρναι ὅμοροι Γερμανοῖς, σχεδόν τι καὶ αὐτοὶ τοῦ Γερμανικοῦ γένους ὄντες, εἰς πλείω φῦλα διῃρημένοι*" (VII, 3, 17. p. 306.). Sed *Plinius* aperte in Germanis eos numerat (N. H. IV, 81. 100.). Contra priores rerum scriptores velut *Polybius* (XXVI, 9.), *Livius* (XLIV, 26.) origine Gallos esse putant [162]). *Venetos,* quia et domos figant et scuta gestent et pedum usu ac pernicitate gaudeant, inter Germanos potius referendos esse censet Tacitus. At vero *Plinius* eos iuxta Sarmatas appellat (N. H. IV, 97.). *Fenni* denique et *Hellusii* et *Oxiones* ab uno Tacito nominantur, nisi forte

---

[162]) Cf. *Zeuss.* l. l. p. 127 sqq.

Hellusii iidem sunt atque *Hilleviones* Scandinaviae gens apud *Plinium* (N. H. IV, 96.) [163]. Cum iis quae de Hellusiis et Oxionibus fabulosa Tacitus audierat [164], *Plinii* locus (N. H. IV, 95.) potest conferri: (Feruntur insulae) „in quibus equinis pedibus homines nascantur Hippopodes appellati. Fanesiorum aliae in quibus nuda alioqui corpora praegrandes ipsorum aures tota contegant."

Comparatione inter Tacitum et reliquos rerum scriptores singulatim instituta non possumus non plurimi facere nostri auctoris *doctrinam*. Etenim quae de moribus institutis religionibus cum omnium Germanorum tum singularum nationum ab eo proferuntur, non solum accuratiora explicatioraque sunt quam ceterorum scriptorum narrationes, sed etiam plerumque omnino nova et aliis incognita; maxime vero eae gentes Germanorum quae orientem et meridiem versus habitabant, copiosius tractantur. Quisquis igitur maiorum nostrorum antiquitatem examinare voluerit, hoc Taciti libello prorsus non poterit carere.

Iam vero difficillima quaestio, qui *fontes* ad librum de Germania scribendum Tacito praesto fuerint, nobis discutienda erit. Atque ex auctoribus qui ante eum de Germania scripserant, primus *Caesar* nominandus est, quem cum ipse Tacitus c. 28. nominatim laudet [165], non licet dubitare

---

[163]) Eam sententiam tuetur *Zeussius* l. l. p. 77.

[164]) Hellusios et Oxionas in regionibus Finnorum quaerendos esse oppinatur *Zeussius* acuteque monet: „Was Tacitus für Fabel hält, zeigt sich recht verstanden als Wirklichkeit in der Pelzkleidung der Finnen." l. l. p. 275.

[165]) *Germ.* 28: „Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit." Cf. *Agr.* 11: „Gallos quoque in bellis floruisse accepimus." Quae verba spectant hunc *Caesaris* locum: „Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent" (B. G. VI, 24.).

quin commentarios de bello Gallico accurate sit perscrutatus.

Non aeque liquet quo modo *Sallustii* historias in suum usum converterit. Neque enim fugit viros doctos, quae *Vergilius* Georg. III, 356. 376 sqq. de *Scythis*, *Horatius* Carm. III, 24, 11 sqq. de *Getis* referant, mirum in modum concinere vel in singulis quibusdam verbis cum iis quae Tacitus Germ. 16—26. passim tradat de *Germanis*. Ac nuper de hac re acutissime disseruit *Th. Wiedemannus*[166]), qui memorabilem illum consensum, si omnes suam narrationem ex uno atque eodem rerum sriptore deprompsisse concesseris, satis explicari recte affirmat illumque nullum alium fuisse nisi Sallustium clara ratiocinatione demonstrat. Atqui Sallustius in tertio historiarum libro, quo bellum Mithridaticum tractavit, gentium prope Pontum habitantium victum cultumque ac mores adeo copiose descripserat, ut haec pars a veteribus proprio nomine „de situ Pontico“ vel „in situ Ponti“ laudaretur. Hoc excursu auctor ille florentissimus et regiones in quibus bellum gestum esset, et socias nationes quibus auctus Mithridates tam diu bellum duxisset, voluerat indicare. Cum igitur Bastarnae aliique Germanorum populi[167]), Scythae, Getae Sallustio commemorandi fuerint, et Vergilium et Horatium et Tacitum suam quemque descriptionem inde sumpsisse nihil temere colligitur. Hac tenus cum Wiedemanno omnino consentimus. At si propterea quod Tacitus, quae Vergilius de Scythis, de Getis Horatius scripserint, in illa Germanorum quasi imagine coniunxerit, Sallustium quoque illa omnia de Germanis memoriae prodidisse

---

[166]) „Ueber eine Quelle von Tacitus Germania“ in „Forschungen zur Deutschen Geschichte“ vol. IV. Götting. 1864. p. 171—194. Cf. *Kritzius:* Germ. Prolegg. c. I. p. 6 sq.

[167]) Duo Sallustii fragmenta exstant, quibus eum de Germanis scripsisse probatur: Hist. III, 57. (Kritz.): „Germani cetera intutum renonibus corpus tegunt“ et Hist. III, 58: „vestes de pellibus renones vocantur.“

asseveraveris, parum caute conclusisse mihi videberis. Primum enim quaeso advertas non eadem apud Vergilium de Scythis [168]) legi quae de Getis apud Horatium [169]); nec, cum ipsius Sallustii verba iam non conferre possimus, impedire quidquam quo minus quae de Scythis Vergilius, de Getis Horatius narraverint, et ipsum de his gentibus, non de Germanis, rettulisse existimemus. At obicies mihi fortasse poetis facile concedi, ut quae Sallustius de Germanis monuerit, ipsi Scythis vel Getis tribuant: rerum scriptori Scytharum vel Getarum mores in Germanos transferre nequa-

---

[168]) *Vergil.* Georg. III, 356. 376 sqq.:
„Semper hiems, semper spirantis frigora Cauri . . .
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo septem subiecta trioni
Gens effrena virum Rhipaeo tunditur euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora setis."

[169]) *Horat.* Carm. III, 24, 9 sqq.:
„Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos, (cf. Germ. 46.)
Vivunt et rigidi Getae,
Immetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
Et peccare nefas aut pretium est mori."

quam licuisse. Sed quasdam Scytharum Getarumque consuetudines etiam Germanis fuisse communes quis audebit negare? Quod si fieri potuisse dandum est, nonne eadem res a Tacito iisdem verbis atque a Sallustio tractari potuit? Atqui non solum potuit Tacitus hoc facere, sed etiam fecit. Revoca enim in memoriam locum illum Germ. 5., quo eadem ratione, qua Sallustius de Africa, de Germania disserit Tacitus [170]). Neque neglegendum esse puto *Iustinum* idem de Scythis tradere quod Tacitum de Germanis [171]).

Quae cum ita sint, id unum pro certo affirmari posse videtur, Tacitum illis locis, sicuti aliis quoque, Sallustii sermonem imitatum esse; neque vero eum ipsas res inde excerpsisse sobrie quis poterit contendere. Adeo probabilius equidem arbitror, quae apud Vergilium (et Iustinum) de Scythis, apud Horatium de Getis legantur, Sallustium quoque de Scythis Getisque, non de Germanis, narravisse. Quod si sano iudicio suspicari licet, Sallustium in Taciti fontibus numerare nequimus, quantum quidem Tacito convenit cum Vergilio atque Horatio.

Tum *Livium* de Germanis fusius egisse periocha libri CIV. docemur [172]). Quem praeclarum rerum scriptorem cum bene noverit Tacitus ac laudaverit (Agr. 10; Ann. IV, 34.), etiam in libro de Germania edito animum ad eum attendisse putandus est.

Librorum belli Germanici ab *Aufidio Basso* compositorum nullam praeter huius tituli scientiam habemus [173]);

---

[170]) Vide annot. 130.

[171]) *Iustin.* I, 8, 7: „priusque Scythae ebrietate quam bello vincuntur.“ Cf. *Germ.* 23: „Si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.“

[172]) *Liv.* Epit. CIV: „Prima pars libri situm Germaniae moresque continet.“

[173]) Cf. *Quintil.* X, 1, 103. Propter eloquentiam Aufidius Bassus commemoratur Dial. 23.

Tacitus igitur in eos animum adverterit necne non audemus disputare.

Sed *Plinii maioris* libros „bellorum Germaniae viginti“ [174]) praecipuum fuisse fontem, unde Tacitus suam Germaniae notitiam hauserit, sine ulla dubitatione tenemus. Ille enim sub Domitio Corbulone anno 47. p. Chr. ipse in Germaniam inferiorem venerat atque expeditioni contra Chaucos feliciter susceptae interfuerat [175]). Itaque cum ipse Germanorum terras moresque suis oculis vidisset, prae ceteris rerum scriptoribus dignus erat, cui Tacitus fidem haberet. Ac nostrum auctorum multa Plinio debere iam inde intellegimus, quod nonnullos Germaniae locos, velut de sucini origine ac natura, de nationibus Rhenum accolentibus, de bellorum cum Germanis gestorum memoria, cum naturali historia a Plinio scripta concinere cognovimus, sive in hoc libro solo illae res exstabant, sive, quod veri similius est, in libris de bellis Germanicis editis amplius etiam tractatae erant. Accedit quod saltem uno loco Tacitus hos libros aperte laudavit [176]).

Hi fere sunt rerum scriptores, quos Tacitus, cum librum de Germania scriberet, adhibuisse videtur. Sed auctorem tam strenuum, qualis certe erat Tacitus, tantum libros con-

---

[174]) Cf. *Plin. Epp. III, 5:* „Bellorum Germaniae viginti, quibus *omnia, quae cum Germanis gessimus bella,* collegit. Inchoavit, quum in Germania militaret, somnio monitus. Adstitit enim quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit: commendabat memoriam sui, orabatque, ut se ab iniuria oblivionis adsereret.“

[175]) Cf. *Urlichsius* „Chrestom. Plin.“ Einleitg. p. VIII. „Er erwarb sich von der Oertlichkeit, den Sitten und Sagen Germaniens, sowie des anstossenden belgischen Galliens eine genaue und anschauliche Kenntniss.“ p. IX.

[176]) Ann. I, 69: „Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor . . . “ Etiam aliis locis, puta Hist. III, 28; Ann. XIII, 20; XV, 53., Plinius laudatur; sed his locis Tacitus libros a fine Aufidii Bassi triginta unum (*Plin.* Epp. III, 5.) in mente habet.

sulere non satis habuisse nostro iure conicimus. Ac sunt profecto multa quae ille vix potuerit discere ex voluminibus, sed potius ab aequalibus, qui Germanorum mores in ipsorum terra viderint. Ita quae de nationibus Danubium accolentibus, quibuscum Domitiano demum imperante Romani concurrerant [177]), apud eum invenimus, *ab ipsis ducibus militibusque* comperisse eum existimamus. Nec Tacitum *ex ipsis Germanis*, quorum tunc temporis non paucos Romae vitam degisse scimus, quaedam explorasse audemus infitiari. Quae enim de Germanorum origine ac de ritibus divinis ab eo referuntur, indigenarum narrationibus tribuerimus. *A negotiatoribus* denique, qui *sucini* mercandi causa nationum prope Suebicum mare habitantium regiones penetraverant, ea videtur accepisse quae de illis gentibus nova et clara narravit [178]).

Quo igitur modo Tacitus fontibus usus sit, paucis dicamus. Neque enim in verba auctorum umquam iuravit, sed iis quae aliunde accuratius certiusque compererat, illorum narrationes partim auxit partim correxit. Inde cur saepius a Caesaris Pliniive verbis differat, explicandum est.

Ceterum ne obliti simus eum in Germaniae terras gentesque inquirere ne edito quidem illo de Germania libello desiisse; sic intellegimus qui nonnulla in libris postea scriptis aliter tradantur, velut de argenti fodinis vel de coloniae Agrippinensis origine, alia in libro de Germania scripto prorsus omissa sint, velut multarum gentium nomina; nam Marsaci, Canninefates, Sugambri, Gugerni, Tubantes, Ampsivarii in historiis aut annalibus commemorantur.

Postremum *Tacitum in Germania ipsum non fuisse* nobis persuasum est. Etenim quae Kritzius, ut hoc Tacito vin-

---

[177]) Cf. *Riesius* l. l. p. 200. Etenim num iam Tiberio imperante Romani accuratiorem illius Germaniae regionis habuerint dubitamus.

[178]) Cf. *Zeussius* l. l. p. 265.

dicaret, diligentius quam rectius disseruerit [179]), nullam argumenti vim habere iam alii viri docti demonstraverunt. Ne unus quidem totius libri locus investigari potest quo in illam sententiam adigamur. Contra disputare licet Tacitum, si re vera ipse Germaniam vidisset, alicubi id indicaturum fuisse, neque eius narrationem, maxime cum nationum sedes describat [180]), adeo lucidam esse, ut ipsum in maiorum nostrorum regiones profectum sobrio iudicio possimus asseverare [180 a]).

---

[179]) *Kritz.* Germ. Prolegg. c. I. p. 1—6. *Teuffelius* l. l. p. 24. Tacitum quadriennio illo post praeturam legatum pro praetore in Germania fuisse nulla ratione allata suspicatur. Cf. p. 31. eundem.

[180]) Cf. *Zeussius* l. l. p. 140.

[180 a]) Iis, quae de agrorum possessione disserui, addendum est quod modo apud *Hannsenium* („die Gehöferschaften im Regierungsbezirke Trier“ in „Abhdlgn. d. Berliner Akad.“ 1863. p. 75 sqq.) mihi occurrit. Etenim miram certe rem ille refert, quod hodie quoque in dioecesi Trevirensi ager ab universis in vices ita occupatus est, ut homines privati quotannis arva mutent.

IV.

Excursus de Capitolio Hist. III, 72.

Tacitus postquam incendium Capitolii a Vitellianis perpetratum narravit [181]), hanc de prioribus aedis illius fatis digressionem facit:

„*Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi. arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum causis, quo tantae cladis pretio? stetit, pro patria bellavimus. voverat Tarquinius Priscus rex bello Sabino, ieceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis quam quo modicae adhuc populi Romani res sufficerent. mox Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus capta Suessa Pometia hostium spoliis extruxere. sed gloria operis libertati reservata: pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit, ea magnificentia quam inmensae postea populi Romani*

---

[181]) Hist. III, 71.

opes ornarent potius quam augerent. isdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto quadringentorum quindecim annorum spatio L. Scipione C. Norbano consulibus flagraverat. curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad Vitellium mansit. ea tunc aedes cremabatur." [182])

Iam singula quaeque quo modo cum reliquorum auctorum narratione congruant aut discrepent, examinemus.

Cicero igitur Tarquinium Priscum vovisse tantum refert bello Sabino in ipsa pugna aedem in Capitolio Iovi Optimo Maximo faciendam [183]), Tarquinium Superbum votum patris Capitolii aedificatione persolvisse [184]).

Livius autem omnino fere cum nostro auctore consentit, cum Tarquinium Priscum narrat aream ad aedem in Capitolio Iovis, quam voverit bello Sabino, iam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci occupavisse fundamentis [185]); Tarquinium Superbum capta Suessa Pometia quadraginta talenta argenti, quae divendita praeda acceperit, in aedificationem Iovis templi seposuisse [186]); sed Pometinas manubias, quae perducendo ad culmen operi destinatae fuerint, vix in fundamenta suppeditasse [187]); itaque eum intentum perficiendo templo fabris undique ex Etruria accitis non pecunia solum ad id publica esse usum, sed operis etiam ex plebe [188]).

Deinde *Dionysii* verba aliquantum differunt ab aliis rerum scriptoribus. Etenim non solum Iovi, sed etiam Iunoni ac Minervae illam aedem vovisse tradit Tarquinium Priscum

---

[182]) Hist. III, 72.
[183]) De rep. II, 20.
[184]) Ib. c. 24.
[185]) I, 38.
[186]) I, 53.
[187]) I, 55.
[188]) I, 56.

ultimo quod cum Sabinis gesserit bello ac magnas ob inaequalitatem loci substructiones erexisse, neque vero, cum quadriennio post bellum illud confectum vita decesserit, ipsum fundamenta iacere potuisse [189]; multis annis interiectis Tarquinium Superbum, quem non filium sed nepotem Prisci unus Dionysius facit [190], Suessa Pometia capta decimam praedae partem in aedificanda illa aede consumpsisse [191].

Prorsus singularis est hic *Plinii* locus: „Auctor est *Antias* oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege, ex cuius praeda Capitolium is inchoaverit“ [192]. Ne sciremus quidem uter Tarquinius sit intellegendus, nisi ex alio loco, qui non minorem dubitationem excitaverit: „Volcam Veis accitum cui locaret Tarquinius Priscus Iovis effigiem in Capitolio dicandam“ [193] atque ex his *Strabonis* verbis: „*πόλιν Ἀπιόλα, ἣν κατέσκαψε Ταρκύνιος Πρίσκος*“ [194] disceremus.

Sed Servium Tullium Capitolii aedificationem continuasse unus Tacitus auctor est.

Ac viri doctissimi velut *Beckerus* [195] et *Schweglerus* [196] non dubitaverunt Tacito exprobrare quod Capitolium cum Dianae templo a Servio Tullio in Aventino monte exstructo confuderit. At vide ne inique illi iudicaverint. Etenim teneamus Romanos rerum scriptores omnes in hoc consentire quod Capitolium tamquam pignus imperii populi Romani conditum esse existimaverint. Id Dionysius, Livius, Tacitus

---

[189]) III, 69.

[190]) De hac re vide *Niebuhrium* „Römische Geschichte“ I, 412 sqq. ed. III; *Schweglerum* „Römische Geschichte“ I, 48 sqq.

[191]) *Dionys.* IV, 59.

[192]) N. H. III, 70. Cf. *Niebuhr.* l. l. I, 557 sq.

[193]) Ib. XXXV, 157. Huius rei testem Varronem laudat Plinius §. 155.

[194]) V, 3, 4. p. 231. Sed Volscorum, non Latinorum, oppidum appellat Strabo.

[195]) „Hdbch. der röm. Alterthümer“ I, 395. annot. 767.

[196]) L. l. I, 793; cf. I, 115. Iam antea idem opinati erant *Hirtius* „der Tempel des capit. Jup.“ p. 22. et *Sachsius* „Rom“ I, 278. annot. 43.

una affirmant; ad eandem opinionem fabula illa pertinet, in fundamentis aperiendis caput humanum apparuisse, quo Romam caput rerum fore portendi vates cecinerint; quam fabulam *Varro* [197]), *Dionysius* [198]), *Livius* [199]), *Plinius* [200]), *Cassius Dio* [201]) referunt. Nos sane, si eam quam Romani tuiti sint sententiam a vero longe esse alienam, Tarquiniosque reges monumentum regni sui nominisque relinquere voluisse suspicamur, facillime intellegimus, cur per totum Servii Tullii regnum illud opus intermissum sit [202]). At ponamus veram fuisse Romanorum de Capitolii origine opinionem: nonne mirum quantum offendimur, quod Tullïus rex per amplius quadraginta annos Capitolium exstruere cessaverit? Quid impedit quo minus Tacitum eadem ratione adductum esse

---

[197]) L. L. V, 41. (ed. C. O. Müller. p. 16.)

[198]) IV, 59.

[199]) I, 55.

[200]) N. H. XXVIII, 15.

[201]) Fr. 11. (I. Bekker.)

[202]) *Prellerus* („Zur Geschichte und Topographie des Römischen Capitols" in *Philol.* I. p. 68—107.) optime monet: „War es dem Tarquinius Priscus, dem Gründer des Capitolinischen Tempels, wirklich schon um ein Staatsheiligthum zu thun? Nach Dionys. III, 69 hatte dieser König dem Jupiter, der Juno und Minerva, einem ihm vermöge seiner Tyrrhenischen Abkunft angestammten Culte, in einer Schlacht mit den Sabinern einen solchen Tempel gelobt, was also doch auf ein überwiegend persönliches Motiv hindeutet; und nicht einmal ein neuer Cultus wurde für Rom dadurch begründet, da sich ja auf dem Quirinal ein Capitolium vetus befand. In demselben Sinne, dem eines Prachttempels, den das Tyrrhenische Königsgeschlecht der Tyrrhenischen Göttergruppe, namentlich dem Jupiter O. M., der Quelle aller königlichen Herrschaft, errichtete, setzte dann der jüngere Tarquinius diesen Bau fort, welchem Herrscher als einem Tyrannen im altgriechischen Sinne des Worts eine solche Auffassung des Römischen Staats, wie sie für diesen Tempelbau zuweilen vorausgesetzt wird, ganz fremd war. Erst durch die Republik, welche sich das grossartige Werk des Tyrannen aneignete, ward er der geistige Centralpunkt des Römischen Staates." p. 78. Cf. *Niebuhr.* l. l. I, 401; *Schwegler.* l. l. I, 792 sq.

arbitremur, ut communem famam aspernaretur atque alium auctorem, qui veri similiora exhiberet, sequeretur? Nullo igitur pacto nostrum rerum scriptorem alteram rem cum altera confudisse concedimus; quin etiam subtilius eum quam reliquos auctores, qui communis narrationis difficultatem ne sensisse quidem videntur, de hac re cogitasse statuimus. Neque absonum est quod *Orellius* ad hunc locum monuit: „Minime credibile est . . . a Tacito confusum esse Capitolium cum Dianae templo in Aventino monte, verum hic quoque certos auctores nunc deperditos secutus videtur, ut alibi, ubi res antiquiores tangit. Sic, si non exstaret fatalis, ut ita dicam, ille Plinii de Porsenna locus, Taciti verba „dedita urbe" fortasse pro mero errore haberentur."

Tum Iovis templum in Capitolio iam non a regibus sed libera re publica ab Horatio Pulvillo consule dedicatum esse inter omnes auctores constat. Sed de anno non idem consensus. Unus enim *Dionysius* [203]) cum Tacito facit anno tertio post reges exactos aedem Iovis esse dedicatam; contra *Polybius* [204]), *Livius* [205]), *Plinius* [206]), *Plutarchus* [207]), *Cassius Dio* [208]) anno primo liberae rei publicae hoc factum esse tradunt. Ut suum cuique aequo iudicio tribuamus, quos quisque fastos consulares adhibuerit cognoscere debemus; ac quo aptius oculis perlustrare possis, consules primos secundum Polybium, Dionysium, Livium iuxta ponemus:

Polybius [209]**:**

a. u. c. 245. L. Iunius Brutus — M. Horatius

---

[203]) III, 69; IV, 61; V, 35: „τὴν δ' ἀνιέρωσιν αὐτοῦ καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἔλαβε Μάρκος Ὁράτιος ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων."

[204]) III, 22.

[205]) II, 8; VII, 3.

[206]) N. H. XXXIII, 19. 20.

[207]) Popl. 14.

[208]) Fr. 13.

[209]) III, 22.

Dionysius [210]):

a. u. c. 245.	L. Iunius Brutus	—	L. Tarquinius Collatinus
	M. Horat. Pulvillus (cos. suff.)	—	P. Valerius Poplicola (cos. suff.)
„ 246.	P. Val. Poplicola II.	—	T. Lucretius
„ 247.	P. Val. Poplicola III.	—	M. Horatius Pulvillus II.
„ 248.	Sp. Larcius	—	T. Herminius

Livius [211]):

a. u. a. 245.	L. Iunius Brutus	—	L. Tarquinius Collatinus
	Sp. Lucretius (cos. suff.)	—	P. Valerius Poplicola (cos. suff.)
	M. Horat. Pulvillus (cos. suff.)		
„ 246.	P. Val. Poplicola II.	—	T. Lucretius
„ 247.	Sp. Lucretius	—	P. Valerius Poplicola III.
„ 248.	—	—	—

Ac Polybium veros fastos exhibere *Niebuhrius* [212]) ac *Mommsenius* [213]) recte inde collegerunt quod ille primum inter Romanos et Carthaginienses foedus „*κατὰ Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὁράτιον, τοὺς πρώτους καταστάθέντας ὑπάτους μετὰ τὴν τῶν βασιλέων κατάλυσιν*“ ictum esse tradit; neque enim dubitare licet, quin tabulae foedus illud con-

---

[210]) V, 1. 12. 19. 20. 21. 36.

[211]) I, 60; II, 2. 8. 15.

[212]) L. l. I, 595: „Bis in die spätesten Zeiten mussten alle römische öffentliche Urkunden zur Beglaubigung mit der Angabe des Consulats, unter welchem sie ausgestellt worden, versehen sein: bei einem Vertrag vollends kann sie nicht gefehlt haben.“

[213]) „Die röm. Chronologie bis auf Cäsar.“ Berlin. 1858. p. 83: „Wenn diese älteste Angabe mit der jüngern den Horatius nur als Ersatzconsul aufführenden in Widerspruch tritt, so ist die letztere eben augenscheinlich eine spätere Interpolation.“ Ibid. annot. 123 a: „Die Namen des Lucretius, Tarquinius, Valerius Poplicola sind wohl erst im 7. Jahrhundert in die Fasten dieses Jahres hineingelogen worden.“

tinenti vera consulum nomina insculpta fuerint; praesertim cum, nisi ita se res haberet, vix intellegeremus cur Polybius consules nominatim appellaret.

Quod si Brutus atque Horatius consules primi anni eponymi fuerunt, Iovis templum primo anno ab Horatio esse dedicatum facile est ad accipiendum. At longe aliter iudicandum erat, si quis velut Livius alios fastos secutus Horatium pro *suffecto* tantum consule habebat [214]). Qui enim cogitabimus consulem suffectum illius aedis dedicatione magistratum suum inchoasse? Quod quam difficile sit intellectu, Livius ne sensisse quidem videtur. Contra alii auctores, ut Horatio dedicati Capitolii honorem servarent ac tamen difficultatem illam tollerent, anno tertio post reges exactos Horatium iterum consulem creatum esse et tum demum Iovis templum dedicavisse tradiderunt [215]); atque eos fastos Dionysius et Tacitus vindicarunt. Tametsi igitur Tacitum hac in re verum invenisse non audemus contendere, tamen saniore acrioreque iudicio in auctore deligendo usum eum esse arbitramur quam Livium. Neque vero res ita comparata est, ut Taciti narrationem falsam esse pro certo affirmemus.

Illud igitur templum non Porsennam *dedita urbe* neque Gallos capta temerare potuisse [216]) Tacitus refert. Hac quidem in re differt ab reliquis rerum scriptoribus, qui omnes Porsennam Mucii Scaevolae facinore perterritum re infecta

---

[214]) *Mommsen.* l. l. p. 83: „Die innere Unmöglichkeit, dass der durch die Revolution ans Ruder gelangte Consul mit jener Weihe des fertig vorgefundenen Tempels sein Amt begonnen haben soll, kommt nicht in Betracht bei einer Erzählung, die im besten Falle Sage ist.“

[215]) De primorum annorum consulibus conferas, quae *Niebuhrius* l. l. I, 595 sqq., *Schweglerus* l. l. II, 67 sq. disputaverunt.

[216]) *Niebuhrius* l. l. I, 606. annot. 1213: „Wörtlich gedeutet müsste Tacitus Sinn sein dass Porsenna den Tempel nicht hätte verlezen *können*, also nicht Meister des Capitolium gewesen wäre: vermuthlich aber bezog er potuissent nur auf die Gallier.“

ab urbe se recepisse una rettulerunt [217]). Sed nostrum auctorem unum veram rem tradidisse cum ex iis quae reliqui rerum scriptores leviter tantum attigerunt [218]) colligere cogimur, tum ex hoc *Plinii* loco manifestum est: „Aliquot experimentis probatum est posse innocens esse ferrum. in foedere quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsina, nominatim conprehensum invenimus ne ferro nisi in agri cultu uteretur. et tum stilo scribere intutum vetustissimi auctores tradiderunt“ [219]). Nec quisquam iam doctorum virorum Tacito assentiri dubitat; ac bene monet *Niebuhrius:* „Das schreckliche Wort spricht nur Tacitus unverschleiert aus: die Stadt hat sich dem Sieger ergeben müssen [220]); idemque cum de *foedere* quod Porsinam populo Romano dedisse Plinius scribit, haec disserit: „Erst wenn der eigen gewordene Ort wieder entlassen war, konnte von einem Vertrag mit ihm die Rede sein.... Also entweder gebraucht Plinius einen *sehr uneigentlichen* Ausdruck, oder die Gesetze, welche Porsenna den Römern vorschrieb, gehören der Zeit an wo eine, zwar wehrlose und nichtige, aber doch der Form nach eine Persönlichkeit, ihnen wiedergegeben war“ [221]) — equidem priorem huius sententiae partem probandam esse censeo.

Deinde Gallos Roma capta Capitolium non expugnavisse cum inter omnes rerum scriptores constet, non habemus quod de hac re multa verba faciamus [222]).

---

[217]) Omnes locos hic exscribere longum nec necessarium. Vide eos apud *Schweglerum* l. l. II, 52 sqq.

[218]) Cf. *Schwegler.* l. l. II, 182 sq.; *Niebuhr.* l. l. I, 609. Cf. Ann. XI, 24: „Tuscis obsides dedimus.“

[219]) N. H. XXXIV, 139.

[220]) L. l. I, 606. Etiam *Mommsenius* „Römische Geschichte“ ed. IV., I, 324. Tacitum ac Plinium auctores sequitur.

[221]) L. l. I, 608.

[222]) Cf. *Schweglerus* l. l. III, 234 sqq.

Porro Tacitus nos docet Capitolium L. Scipione C. Norbano consulibus primum conflagrasse; at cum interiecto quadringentorum quindecim annorum spatio id factum esse tradit, non accuratam instituit rationem; etenim L. Scipionem C. Norbanum anni 671. a. u. c. consules fuisse ex fastis compertum habemus: ergo a Capitolii dedicatione anno 247. facta usque ad illorum consulum magistratum si annos numeraveris, Taciti rationem decem annis superari invenies [223]). Sed alia eaque maior exsistit difficultas, quod Tacitus Ann. VI, 18. (12.) exustum *sociali* bello Capitolium perhibet, nostro loco *civili*. Ac *Lipsius* pro „sociali" correxit „civili". *Orellius* ad Ann. VI, 18. (12.) nihil annotat nisi accuratius Tacitum in historiis dixisse „civili". *Nipperdeius* adeo offensus est illo „sociali bello", ut haec verba pro annotatione in margine a nescio quo facta haberet atque uncis includeret, Multo veri similius *Urlichsius* memoriae vel calami lapsum Tacito accidisse arbitratur, nisi vero Lipsio assentiendum sit [224]).

De causâ huius incendii nihil certi a veteribus memoriae proditur. Nam Tacitus Iovis aedem fraude privata arsisse dicit; sed quae illa fraus privata fuerit cogitare nequimus. *Appianus* [225]) neminem causam compertam habuisse affirmat. Fortasse recte narrat *Cassius Dio* [226]) „*ὅτι κεραυνοῦ ἐπὶ τὸ*

---

[223]) Veram rationem instituit *Plinius* N. H. XXXIII, 16., cum anno 364. Romam a Gallis captam et post annos CCCVII Capitolinam aedem incensam esse narrat.

[224]) „Im Archetypus mag eine Silbe gefehlt und bloss gestanden haben CILI." *Urlichs.* in recensione editionis Taciti a Nipperdeio scriptae „N. Jahrb. f. Phil. u. Paed." vol. LXIX. p. 163 sq. Contra *Wittichius* („de rei publicae Romanae ea forma, qua L. Cornelius Sulla dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit." Lips. 1834. p. 119.) Tacitum habuisse civile bellum inter Marium et Sallam tanquam socialis continuationem opinatur.

[225]) B. C. I, 83: „τό τε Καπιτώλιον, ὑπὸ τῶν βασιλέων τετρακοσίοις που πρόσθεν ἔτεσι γενόμενον, ἐνεπρήσθη καὶ τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει."

[226]) Fr. 106.

Καπιτώλιον ἐνεχθέντος ἄλλα τε πολλὰ καὶ οἱ τῶν Σιβυλλείων χρησμοὶ διεφθάρησαν·" quae verba cum Ann. VI, 18. (12.) conferenda sunt et cum *Plinio* (N. H. XIII, 88.).

Tum iisdem rursus vestigiis Iovis templum situm esse Tacito convenit cum *Dionysio* [227]), qui magnificentius alterum opus fuisse addit. Id confirmatur a *Plinio*, qui Capitolinis aedibus Sullam advexisse refert columnas ex Iovis Olympii templo Atheniensi [228]).

Tum quod Tacitus curam restituendi Capitolii victorem Sullam suscepisse neque tamen dedicasse: hoc solum felicitati eius negatum esse exhibet, maxime congruit cum hoc *Plinii* loco [229]): „Unus hominum ad hoc aevi Felicis sibi cognomen adseruit L. Sulla . . . hoc tamen nempe felicitati suae defuisse confessus est quod Capitolium non dedicavisset."

Capitolium a Q. Lutatio Catulo dedicatum esse *Livius* [230]), *Plinius* [231]), *Tacitus*, *Plutarchus* [232]), *Cassius Dio* [233]) una referunt. At cum Tacito, qui Catuli nomen usque ad Vitellium mansisse dicit, pugnare videntur duo *Cassii Dionis* loci, alter XXXVII, 44: „*Ἔπραττε μὲν* (*ὁ Καῖσαρ*) *γὰρ ὅπως τὸ μὲν τοῦ Κατούλου ὄνομα ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίου ἀφαιρεθείη* (*κλοπῆς τε γὰρ αὐτὸν εὔθυνε, καὶ τὸν λογισμὸν τῶν ἀνηλωμένων χρημάτων ἀπῄτει*), *τῷ δὲ δὴ Πομπηίῳ τὰ λοιπὰ προσεξεργάσασθαι ἐπιτραπείη*", alter XLIII, 14: „*Τό τε ὄνομα αὐτοῦ* (Caesaris) *ἐπὶ τὸ Καπιτώλιον ἀντὶ τοῦ*

---

227) IV, 61: „ἐπὶ γὰρ τοῖς αὐτοῖς θεμελίοις ὁ μετὰ τὴν ἔμπρησιν οἰκοδομηθεὶς κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν ἱδρύθη."

228) N. H. XXXVI, 45.

229) N. H. VII, 138.

230) Epit. XCVIII.

231) N. H. XIX, 23.

232) Popl. 15: „τὸν δὲ δεύτερον ἀνέστησε μὲν Σύλλας, ἐπεγράφη δὲ τῇ καθιερώσει Κάτουλος, Σύλλα προαποθανόντος."

233) XXXVII, 44; XLIII, 14.

Κατούλου, ὡς καὶ τὸν νεών, ἐφ' οὗ τῇ ἐκποιήσει εὐθύνειν ἐκεῖνον ἐπεχείρησεν, ἐκτελέσαντος, ἀντεγγραφῆναι ἐκέλευσαν (senatores)". Ac cum Cassio Dione facit *Suetonius* [234]): „Primo praeturae die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat." Sed insidias illas Caesaris non prospere cessisse partim additis his Suetonii verbis: „verum impar optimatium conspirationi, quos relicto statim novorum consulum officio frequentes obstinatosque ad resistendum concucurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit" — partim Taciti loco demonstratur; hic enim ipse Catuli nomen Capitolinae aedi inscriptum suis oculis videre potuit ac certe vidit.

Comparatione inter Taciti excursum et ceterorum auctorum locos facta quid de nostri scriptoris *doctrina* iudicemus, paucis ita complectimur:

1. Nemo omnium rerum scriptorum accuratius explicatiusque de Capitolii historia rettulit quam Tacitus.

2. Ubi Tacitus a reliquorum auctorum narratione discrepat, velut de Capitolii aedificatione Servio Tullio regnante continuata ac de dedicationis anno, non inscitia res confudisse aut quasi ex ingenio finxisse, sed potius alios fontes quibus probabiliora exhiberentur, adhibuisse putandus est.

3. Unus Tacitus de bello cum Porsenna gesto verum sine fuco memoriae prodidit.

4. Nihil exstat in illo excursu, si unam illam temporis rationem exceperis, quod falsum esse pro certo contendamus.

---

[234]) Caes. 15.

Quae de Capitolio apud Tacitum leguntur cum plerumque ab aliorum auctorum locis diversa sint, non ex iisdem *fontibus* derivari potuerunt atque Dionysii Livii aliorum narrationes. Ac vereor, ne in hac animadversione acquiescere debeamus; etenim qui Taciti fontes fuerint, nullum certum vestigium indagare contingit. Nam quod *Niebuhrius* suspicatur Valerium Antiatem, qui Tarquinium Priscum ex praeda Apiolarum obscuri alicuius oppidi Capitolium inchoavisse falso tradiderit, eundem continuationem illius operis a Servio Tullio factam commentum esse [235]): viro ingeniosissimo non assentimur. Si enim res ita esset, non recte intellegeremus, cur Tacitus, quippe qui unus exstructionem aedis Capitolinae per Servii Tullii regnum continuatam esse commemoret, nihil omnino rettulerit de Apiolarum manubiis. Sed hoc argumentum ut missum faciamus, numquid veri simile est auctorem tam insulsum, qui Apiolarum praedam Capitolio aedificando suppeditavisse crediderit, eundem illud de Servio Tullio coniecisse? Mihi non ita videtur.

Tum *Schweglerus* [236]) Plinium foederis illius a Porsenna dati notitiam fortasse a Licinio Macro vel Verrio Flacco, quod hic in auctoribus libri XXXIV. naturalis historiae nominetur, accepisse existimat. At valde miror quod vir doctissimus in eam cogitationem inciderit. Quo enim iure Licinium Macrum appellat, quem ipse Plinius in illius libri auctoribus ne commemorat quidem? Sed etiam Verrii Flacci auctoritas nullis adminiculis satis firmis fulcitur; nam Plinius etiam L. Pisonem, Valerium Antiatem, M. Varronem, alios auctores libri illius laudat, neque ullo iure iis denegamus quod uni Verrio Flacco tribuit Schweglerus.

---

[235]) L. l. I, 558.

[236]) L. l. II, 182. annot. 2.

Quam ob causam equidem fontes Taciti non posse indicari satius duco libere confiteri [236a]). Id unum defendimus Tacitum ex antiquiore ac sinceriore fonte suam narrationem sumpsisse quam reliquos rerum scriptores qui omnes fere communi fama nihil offendebantur.

[236a]) Quod Tacitus de Sulla narrat, ita vel in singulis quibusque verbis cum Plinii loco congruit, ut hoc saltem ex illo hausisse videatur.

V.

Excursus de quaestura Ann. XI, 22.

In universa Romanarum antiquitatum disciplina haud scio an nihil quaesturae historia obscurius inveniatur. Quando enim quaestura orta est? Continuus magistratus erat an ad tempus creatus? A quo potestatem quaestores accipiebant? Qualem provinciam quaestura comprehendebat? Idemne magistratus et aerarium administrabat et causas capitales iudicabat an utrique muneri singulos magistratus tribuamus?

Ad eas quaestiones ut iam veterum auctorum alii aliter responderunt, ita hodie quoque homines eruditi prorsus inter sese dissentiunt. Neque umquam fore ut de hac re inter omnes constet, uno exemplo demonstravisse satis erit. Nam qui bipartitam fuisse quaesturam contendunt cum probabile esse negant „dass eine und dieselbe Magistratur zwei so verschiedene Geschäftszweige in sich vereinigt habe: eine Cumulation von Aemtern, wofür es in der römischen Verfassungsgeschichte kein zweites Beispiel gibt“ [237]) — contra Langius his ipsis verbis disceptat: „Diese Verbindung heterogener Funktionen ist ganz im Geiste des ältesten römischen

---

[237]) Cf. *Schweglerum* l. l. II, 137.

Staatsrechts, das lieber bestehende Ämter erweiterte, als neue schuf“ [238]).

Adeo Schweglerus acutissimi ingenii vir, qui a nulla certe quaestione ardua abhorrebat, hunc in modum verba facit: „Die Tradition ist in diesem Punkte so lückenhaft und zusammenhangslos, so voll von Widersprüchen, dass sich der wirkliche Thatbestand nicht mehr ermitteln lässt, und da eine zureichende Beweisführung nicht hergestellt werden kann, die Entscheidung zuletzt von der subjectiven Meinung abhängt. Daher unterlässt es der Verfasser des vorliegenden Werks, über diese nicht mehr aufzuklärende Frage definitive Behauptungen aufzustellen“ [239]).

Quod si quae de quaestura Tacitus refert, cum reliquorum antiquitatis auctorum locis conferre aggredior, mihi non sumo tantum neque arrogo, ut omnia inde plana explicataque fore existimem. Nec tamen inutile duco hac disputatione duas movere quaestiones:

A. sitne ea Taciti de quaestura narratio, ut eum antiquam rei publicae Romanae formam intellexisse iure possimus negare;

B. possitne ex scriptis veterum auctorum nobis servatis pro certo enucleari, quo ex fonte Tacitus, cum de quaestura scriberet, hauserit.

A.

Ac primum quidem ipsius *Taciti* verba audiamus:

„*Isdem consulibus* (47. p. Chr.) *P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorium per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur. apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin*

---

[238]) *Langius* „Röm. Alterthümer“ I, 280.

[239]) *Schweglerus* l. l. II, 133.

prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagensimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. dein gliscentibus negotiis duo additi qui Romae curarent: mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus: post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur" [240]).

Tacitum igitur de solis aerarii quaestoribus cogitavisse cum ex totius loci contextu tum ex ipsis verbis elucet. Hoc saltem certum est eum quaestores parricidii non pro magistratu proprio atque a quaestoribus aerarii diverso habuisse.

Atque unus rerum scriptorum quaesturae initium a regum temporibus auctor noster repetit; nam Zonaras, ut paulo inferius videbimus, de quaestoribus ante liberam Romanorum rem publicam creatis non ita lucide disserit. Apud iuris prudentes tantum invenimus locum quo de quaestura regum aetate instituta agitur idque fusius quam a Tacito; *Iulium Gracchanum* intellego C. Gracchi aequalem atque asseclam, quem laudat *Ulpianus* [241]). En memorabilem locum:

„Origo quaestoribus creandis antiquissima est et paene ante omnes magistratus. Gracchanus denique Iunius libro septimo de potestatibus etiam ipsum Romulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce sed *populi suffragio* crearent, refert. sed sicuti dubium est, an Romulo et Numa regnantibus quaestor fuerit, ita

---

[240]) Ann. XI, 22.

[241]) De off. quaest. Dig. I, 13.

Tullo Hostilio rege quaestores fuisse certum est. Sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in rem publicam induxisse quaestores."

Sed Ulpianus cum contra Gracchani testimonium quaestores Tullo Hostilio regnante primum in rem publicam inductos esse ratus crebriorem apud veteres opinionem quasi in auxilium vocat, dubitari non potest quin duumviros perduellionis, quos ad causam Horatii iudicandam ab illo rege fuisse factos Livius fuse narrat [242]), cum quaestoribus confuderit [243]).

Multo vero magis nobis animadvertendum est Gracchanum cum Tacito pugnare; etenim hic quaestores ab ipsis regibus, ille populi suffragio a regibus delectos esse refert. Ac Tacitus ut suam sententiam confirmaret, legem curiatam ab L. Bruto repetitam laudat; quae lex etsi ab aliis scriptoribus fortasse leviter attingatur [244]), tamen quo modo ad quaestorum creandorum potestatem pertinuerit, nemo praeter nostrum auctorem memoriae prodidit.

Item unus Tacitus ab initio liberae rei publicae ultra decemvirorum tempora consulibus quaestores deligendi potestatem mansisse auctor est.

Demum post reges expulsos etiam alii rerum scriptores quaesturam commemorant. Atque explicatissimus est *Zonarae*, qui Cassii Dionis libros excerpserat, locus: „(Poplicola) *τὴν τῶν χρημάτων διοίκησιν ἄλλοις ἀπένειμεν, ἵνα μὴ τούτων ἐγκρατεῖς ὄντες οἱ ὑπατεύοντες μέγα δύνωνται. ὅτε πρῶτον οἱ ταμίαι γίνεσθαι ἤρξαντο. κοιαίστορας δ' ἐκάλουν αὐτούς. οἳ πρῶτον μὲν τὰς θανασίμους δίκας ἐδίκαζον, ὅθεν καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην διὰ τὰς ἀνακρίσεις ἐσχήκασι καὶ διὰ τὴν τῆς ἀληθείας ἐκ τῶν ἀνακρίσεων ζήτησιν·*

---

[242]) *Liv.* I, 26.

[243]) Cf. *Beckerum* l. l. II, 2, 329.

[244]) Cf. *Liv.* I, 59; *Pompon.* de or. iur. §. 3; *Dionys.* IV, 71.

ὕστερον δὲ καὶ τὴν τῶν κοινῶν χρημάτων διοίκησιν ἔλαχον καὶ ταμίαι προσωνομάσθησαν· μετὰ ταῦτα δ' ἑτέροις μὲν ἐπετράπη τὰ δικαστήρια, ἐκεῖνοι δὲ τῶν χρημάτων ἦσαν διοικηταί" [245]).

Cassius Dio igitur, ut ex Zonara discimus, quaestores ante liberam rem publicam causis capitalibus praefuisse eosdemque a Poplicola aerarii administrationem accepisse narrat.

At *Plutarchus* quamquam et ipse Poplicolam aerarii quaestores in rem publicam induxisse tradit eandemque quam Cassius Dio huius rei causam indicat, tamen aerarii quaestores proprium atque a quaestoribus parricidii seiunctum magistratum fuisse manifesto arbitratur [246]).

Deinde memoratu dignum est secundum Plutarchum novum illum magistratum non ab ipso Poplicola sed a populo creatum esse [247]), secundum Zonaram, si eius verba ut sunt acceperis, ipsum Poplicolam quaestoribus novam illam provinciam delegavisse.

Tum apud *Livium* quaestores primum commemorantur anno 485. a. Chr., quo Sp. Cassio consulari diem dicunt perduellionis [248]); deinde anno 459. et 458. a. Chr. idem M. Volscio faciunt quod falsus testis extiterit [249]). Abhinc usque ad annum 446. a. Chr. nulla prorsus quaestorum mentio a Livio inicitur; atque illo anno extemplo audimus eos aerario praeesse, ex quo bello cum Aequis Volscisque coorto signa promunt deferuntque in campum [250]). Anno 439. a. Chr. quaestores Cincinnati dictatoris iussu Sp. Maelii bona vendunt atque in publicum redigunt [251]). Anno 410. a. Chr.

---

[245]) *Zonar.* VII, 13; cf. *Becker.* l. l. II, 2, 335 sq.

[246]) *Plut.* Popl. 12; cf. Quaest. Rom. 42; cf. *Schwegler.* l. l. II, 134.

[247]) L. l.: „Ταμίας τῷ δήμῳ δύο τῶν νέων ἔδωκεν ἀποδεῖξαι."

[248]) II, 41.

[249]) III, 24. 25.

[250]) III, 69; cf. VII, 23.

[251]) IV, 15; cf. XXXVIII, 60; XXVI, 47.

praedam Aequorum venditam sub hasta a consule in aerarium redigere iubentur [252]). Sed ne longius in singulis quibusque enumerandis immorer, apud Livium post decemviratum aerarii tantum quaestores, ante decemviratum parricidii tantum quaestores inveniri certum est. De mira hac muneris commutatione ab ipso Livio nihil docemur; neque is ullo addito vocabulo aerarii quaestores a quaestoribus parricidii distinguit, sed utrumque magistratum uno quaestorum nomine appellat. Atque tam illos quaestores qui ante decemviratum publicorum accusatorum munere functi erant, quam eos qui postea aerarium administrabant, pro continuo et annuo magistratu habuit. Sed a quo quaestores creati sint, non commemorat; nec dubitamus quin eos semper a populo creatos esse existimaverit [253]).

Ac pro uno magistratu et parricidii et aerarii quaestores Livio fuisse neque vero, quo modo duo munera diversissima in uno atque eodem magistratu coniungerentur, ipsum satis curasse veri simillimum est. Neque eum de quaestura ante liberam rem publicam instituta quidquam novisse memorabili illa oratione a Canuleio anno 445. a. Chr. habita probatur, in qua honores institutaque, quo ordine subinde in rem publicam inducta sint, recte enumerantur, scilicet pontifices, augures, census in civitate et descriptio centuriarum classiumque ab Servio Tullio facta, consules, dictatores, tribuni plebis, aediles; tum haec ibi leguntur: „quaestores nulli erant: institutum est, ut fierent“ [254]). Postremum decemviros Canuleius appellat. Hic statim monemus etiam Pomponium eodem ordine magistratus enumerare eundemque quaesturae originem inter aediles et decemviros collocare.

Livius igitur et Pomponius serius quaestores institutos esse referunt quam Zonaras et Plutarchus.

---

[252]) IV, 53; cf. V, 26.
[253]) IV, 44. 54.
[254]) IV, 4.

Tum *Dionysius Halicarnassensis* nullos regum aetate quaestores commemorat; sed iam anno 507. a. Chr. quaestores aerarii qui Porsennae bona divendunt, apud eum reperimus [255]). Itaque haud scio an a Poplicola quaestores institutos esse putaverit. Deinceps quaestores aerarii anno 493. a. Chr. Menenio Agrippae publicis sumptibus funus fecisse ab eo perhibentur [256]). Ex oratione a Decio tribuno plebis anno 491. a. Chr. habita quaestores praedae vendendae officio functos esse apparet [257]). Anno 485. et 459. a. Chr. manubias divendere iubentur [258]). Anno 449. a. Chr. bona decemvirorum condemnatorum vel profugorum publicata in aerarium redigunt [259]). Sed Dionysius etiam Sp. Cassii [260]) et M. Volscii [261]) causas eodem quo Livius modo refert; at certe mirum est quod quaestores qui Cassio diem dixerant, non *ἐφέτας*, sed *ταμίας* eosque adeo *νέους ἔτι τὴν ἡλικίαν* appellat [262]).

Quod si omnia comprehenderis, Dionysium et aerarii administrationem et publicorum accusatorum munus ab initio uni eidemque magistratui tribuisse concedes.

Ceterum animadvertendum esse videtur diversa illa quaestorum munera vocabulo „parricidii“ [263]) addito sero neque a rerum scriptoribus sed a grammaticis et iuris peritis inter se distingui.

Pomponius enim ille Hadriani aetate iuris consultus, cuius enchiridii magnum fragmentum in digestis [264]) serva-

---

[255]) V, 34.

[256]) VI, 96.

[257]) VII, 63.

[258]) VIII, 82; X, 21.

[259]) XI, 46.

[260]) VIII, 77.

[261]) X, 23.

[262]) Cf. *Schweglerum* l. l. II, 132. 135.

[263]) Vocabulum „aerarii“, quo quaestores aerarii ab alio magistratu separentur, ante Tacitum a nemine usurpatum esse videtur.

[264]) Digest. I, 2.

tum est, cum magistratuum Romanorum originem pariter ac Livius [265]) recenset, de quaestoribus quos post aediles et ante decemviros institutos esse et ipse tradit, haec litteris mandat [266]): „Deinde quum aerarium populi auctius esse coepisset, ut essent, qui illi praeessent, constituti sunt quaestores, qui pecuniae praeessent, dicti ab eo, quod inquirendae et conservandae pecuniae causa creati erant. §. 23: Et quia, ut diximus, de capite civis Romani iniussu populi non erat lege permissum consulibus ius dicere, propterea quaestores constituebantur populo, qui capitalibus rebus praeessent: hique appellabantur quaestores parricidii; quorum etiam meminit lex duodecim tabularum.“ Atque hic locus simul unus est ex omnibus qui nobis innotuerunt veterum scriptorum libris, quo quaestores aerarii et quaestores parricidii tamquam duo magistratus proprii ac diversi aperte explicateque indicantur. Pomponius autem quaestores parricidii ab initio a populo creatos esse et ipse opinatur.

Tum apud *Festum*, qui quarto fere nostri aevi saeculo M. Verrii Flacci grammatici, qui Augusto et Tiberio imperantibus vixerat, librum de verborum significatione in breve redegit, sub vocabulo „quaestores“, si quidem locus mancus recte suppletus est, haec legimus: „Quaestores [dicebantur, qui quaererent de rebus] capitalibus, unde [iidem etiam . . . Quaestores parri]cidi appellantur“ [267]).

Paulus denique Caroli magni aetate presbyter, qui Festi epitomen denuo excerpsit, sub vocabulo „parrici“ haec scribit: „Parrici † quaestores appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum. Nam parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem indemnatum. Ita fuisse indicat lex Numae

---

[265]) IV, 4.

[266]) De orig. iur. §§. 22. 23.

[267]) *Festus* ed. C. O. Müller. p. 258.

Pompilii regis, his composita verbis: „„Si hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto“ “ [268]).

Sed redeamus ad Taciti narrationem. Accuratissime igitur is annum 447. a. Chr. indicat, ex quo quaestores iam non a consulibus sed a populo creati sint; nominatim illius anni quaestores appellat Valerium Potitum et Aemilium Mamercum; hoc eorum munus fuisse refert, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duos additos esse qui Romae curarent; mox duplicatum numerum, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus; post legae Sullae viginti creatos supplendo senatui.

Cum nostro rerum scriptore, quae *Livius* de numero quaestorum aucto rettulit, prorsus nequeunt conciliari; haec enim sunt eius verba [269]): „In urbe ex tranquillo necopinata moles discordiarum inter plebem ac patres exorta est, coepta ab duplicando quaestorum numero. quam rem — praeter duos urbanos quaestores duo ut consulibus ad ministeria belli praesto essent — a consulibus relatam cum et patres summa ope adprobassent, tribuni plebi certamen intulerunt, ut pars quaestorum — nam ad id tempus patricii creati erant — ex plebe fieret.“

Livius igitur a. 422. a. Chr. quaestores militares *post urbanos* institutos esse tradit; contra Tacitus *primum* anno 447. a. Chr. duos quaestores qui rem *militarem* comitarentur creatos, postea duos qui Romae curarent additos esse testatur.

Deinde Livius l. l. auctor est anno 421. a. Chr. ne tribunos quidem plebis intercessisse, quo minus quattuor quaestores promisce de plebe ac patribus libero suffragio populi fierent. Sed non minus duodecim annos praeteriisse, donec anno 409. a. Chr. primum plebeii quaestores crearentur, ita

---

[268]) Ibid. p. 221.

[269]) IV, 43.

tamen, ut uni patricio relinqueretur locus, tres plebeii clarissimarum familiarum iuvenibus praeferrentur[270]).

Tum quaestorum numerum denuo duplicatum esse in *Livii epitome* legimus[271]): „quaestorum numerus ampliatus est, ut essent octo.“ Hac quidem in re etiam tempus a Livio indicatum cum nostri auctoris ratione bene concinit. Etenim ante illa epitomae verba haec scripta sunt: „tunc primum populus Romanus argento uti coepit. Umbri et Sallentini victi in deditionem accepti sunt.“ Atqui argentei nummi primum anno 269. a. Chr. Romae signati sunt[272]), atque Umbris Sallentinisque anno 266. a. Chr. debellatis omnis Italia Romanorum imperio parebat. Illo igitur tempore si quaestorum numerum auctum esse Livius dicit, optime congruit cum hoc Taciti loco: „stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus.“

At longe diversa sunt quae *Ioannes Lydus* memoriae prodit[273]): „*Τῷ δὲ τρίτῳ καὶ διακοσιοστῷ τῶν ὑπάτων ἐνιαυτῷ, ἐπὶ τῆς ὑπατείας Ῥηγούλου καὶ Ἰουνίου, κρινάντων Ῥωμαίων πολεμεῖν τοῖς συμμαχήσασι Πύῤῥῳ τῷ Ἠπειρώτῃ, κατεσκευάσθη στόλος καὶ προεβλήθησαν οἱ καλούμενοι κλασσικοὶ (οἱονεὶ ναύαρχαι) τῷ ἀριθμῷ δυοκαίδεκα κυαίστωρες, οἷον ταμίαι καὶ συναγωγεῖς χρημάτων.*“ Sed ut falsum quaestorum duodecim numerum, qui quo modo ortus sit iam *Niebuhrius*[274]) demonstravit, mittamus: ne temporis quidem rationem recte ab illo institutam esse manifestum est; etenim M. Atilius Regulus et L. Iulius Libo — „*Ἰουνίου*“ falso exhibet Lydus — consules anni 267. a. Chr. fuerunt; contra a Lydo in annum 307. a. Chr. transferuntur. Quam ob rem *Niebuhrius*[275])

---

[270]) IV, 54.

[271]) *Liv.* Epit. XV.

[272]) Cf. *Becker-Marquardt.* l. l. III, 2, 9.

[273]) De magistr. I, 27.

[274]) L. l. II, 484. ed. II.

[275]) L. l. III. annot. 1003.

atque *Beckerus* [276]) „τεσσαρακοστῷ“ excidisse putaverunt. Sed num Ioannes Lydus qui talis coniecturae honore afficiatur dignus sit, hic diiudicare non in animum induco.

Quod denique Tacitus lege Sullae viginti quaestores supplendo senatui creatos esse narrat, nullum quem conferamus locum apud reliquos antiquitatis scriptores reperimus. Contra de quaestorum numero a Caesare ampliato, cuius rei et *Suetonius* [277]) et *Cassius Dio* [278]) testes exstant, propterea fortasse silet Tacitus, quod illud Caesaris institutum non multum temporis duravit.

Comparatione igitur inter Tacitum ceterosque veteres auctores facta, qua quidem in re nihil quod ad ipsam rem necessario pertineat nos omisisse confidimus, id in primis elucet narratione Taciti quamvis brevi plura tamen de quaesturae historia contineri quam reliquorum scriptorum libris omnium. Exorsus enim Tacitus a quaesturae origine inde a regum aetate usque ad sua tempora gravissimas eius magistratus vicissitudines paucis lineamentis adumbrat. Tum haec quaesturae imago fere tota Taciti propria atque ab aliis narrationibus diversa est. Quae cum ita sint, numquid inde colligamus summum rerum scriptorem parum intellexisse priscam rei publicae Romanae formam? Sane dignissima est ea quaestio quam diligentius examinemus.

Ac primum quidem viri docti offendebantur quod Tacitus ne ullo quidem verbo attigisset quaestores parricidii; quos certe, si novisset, fuisse illi commemorandos [279]).

Sed brevissima Taciti narratione quasi externa tantum quaesturae historia continetur sive, ut clarius loquar, vi-

---

[276]) L. l. II, 2, 340.

[277]) Caes. 41. „quaestorum . . . numerum ampliavit.“

[278]) XLIII, 47: „ταμίαι τε τεσσαράκοντα ἀπεδείχθησαν.“

[279]) *Niebuhrius* l. l. I, 583.

cissitudines eius magistratus describuntur, videlicet origo, creatio subinde a regibus consulibus populo facta, numerus paulatim ampliatus. Neque vero Tacitum de quaestorum muneribus explicate voluisse referre ex eius verbis eliciendum esse videtur. Hoc unum prorsus certum est pro uno eodemque magistratu Tacitum habuisse quaestores. Atque hac in re non solum alii antiquitatis scriptores ab eo stant, verum etiam doctissimorum recentioris aetatis virorum plures idem sentiunt.

Iam vero ad gravissimam eamque vel maxime impugnatam loci nostri partem pervenimus, qua quaestores primum a regibus, deinde regibus exactis usque ad decemvirorum aetatem a consulibus delecti esse perhibentur. Atque penes reges deligendi potestatem ab initio fuisse, eius rei argumentum Tacitus legem curiatam ab L. Bruto repetitam affert. Sed iam supra audivimus Iunium Gracchanum contra dicere Romulum et Numam duos quaestores non sua voce sed populi suffragio creavisse.

Ut igitur Tacitum legem Bruti curiatam ita laudasse putemus, ac si ipsa illius legis verba etiam tum novisset, nostro loco minime cogimur; at aliquam legis illius notitiam eum habuisse ne *Niebuhrius* [280]) quidem aut *Beckerus* [281]) eunt infitias. Atqui regum temporibus, quantum quidem scimus, lege curiata de imperio regum iura a populo, id est comitiis curiatis, comprobabantur. Quae regii imperii iura cum nullo modo imminuta primum ad consules translata sint, pariter — quod et ipse *Beckerus* concedit — consulare quoque imperium lege curiata, sicuti regum temporibus moris fuerat, confirmatum esse nihil temere collegeris. At *Beckerus* quamquam vocabulum illud „repetita“ alio sensu intellegendum esse negat, tamen prave cautus ita pergit: „war darin von den Quaestoren die Rede, so ergibt sich daraus wenigstens

---

[280]) L. l.

[281]) L. l. II, 2. annot. 840.

die Ansicht älterer Zeit, dass diese Magistrate schon unter den Königen bestanden.“ *Niebuhrius* autem, quod in lege curiata quaestores nominati sint, id hunc in modum interpretatur: Brutum illa lege rogavisse „dass es mit ihrem Amte bleiben solle, wie es unter den Königen bestand“ [282]). Veram igitur manifestamque conclusionem fecit *Nipperdeius:* „Da dieses Curiatgesetz sich nur auf die Befugnisse der Könige und Consuln bezog, so *konnten die Quaestoren nur desshalb darin erwähnt sein, weil jene sie zu ernennen hatten,* und Tacitus kann desshalb ohne Weiteres fortfahren mansitque consulibus potestas deligendi, als hätte er vorher ausdrücklich gesagt, dass die Könige und ersten Consuln dies Ernennungsrecht gehabt hätten“ [283]).

Ac mirum, credo, est quod *Beckerus,* cum reliquos magistratus omnes a regibus creatos esse contendat [284]), unam quaestorum creationem excipit, nimis confisus Iunio Gracchano, cuius verba cum Taciti loco omnino non posse conciliari asseverat [285]). Minime necesse est nostri rerum scriptoris vindicandi causa de Iunii Gracchani auctoritate quam plurimum detrahamus eumque, quod a popularium partibus steterit, suam de quaestorum creatione narrationem finxisse statuamus: quod Rubinoni crimini vertit Beckerus [286]). Neque vero neglegendum est Gracchorum aequales vix potuisse veriorem priscae Romanorum rei publicae scientiam sibi comparare quam qui Taciti temporibus vixerint. Nimis profecto audent qui unius Gracchani auctoritate haud satis firma nisi inauditam exceptionem ponere cum Beckero animum inducant; id vero tanto magis temerarium videtur, quod Taciti et Gracchani locos prorsus non posse inter se

---

[282]) L. l. I, 582 sq.

[283]) Ad Ann. XI, 22. vol. II. p. 22 sq.

[284]) L. l. II, 1, 378 sq.

[285]) L. l. II, 2, 342.

[286]) L. l. II, 1, 379.

conciliari non licet pro certo affirmare; audi enim, quid sobrie *Schweglerus* annotaverit: „Dasselbe“ (sc. quaestores ante decemviratum a consulibus creatos esse) „sagt Tacitus, indem er sich auf die Lex Curiata beruft, welche L. Brutus als erster Consul eingebracht haben soll, und worin dem Consul, etwa mit der Formel quaestores creato, die Vollmacht ertheilt war, Quaestoren zu creiren. Allein diese Formel muss nicht nothwendig von einer eigenmächtigen Ernennung der Quaestoren durch die Consuln verstanden werden: sie kann nach dem alten staatsrechtlichen Sprachgebrauch auch eine creatio per populi suffragia, also nur eine Leitung der Volkswahl durch den Consul bedeuten. So scheint Gracchanus jene Formel gefasst zu haben, indem er sich der Ausdrucksweise bediente: quos *ipsi reges* non sua voce, sed populi suffragio *crearent*“ [287]).

Verum etiam si haec Tacitum cum Gracchano conciliandi ratio nobis placeret, tamen multo rectius atque accuratius Tacitum rettulisse dicendum esset; namque quamdiu consules magistratus alicuius candidatos deligant, eos „potestatem deligendi“ habere manifestum est; atque tum demum a populo magistratum deferri scite dixeris, cum ipse populus suos candidatos et deligere et creare possit neque vero tantum approbet candidatos a consulibus delectos.

Ut autem cum antiquissimo rei publicae Romanae statu magis congruit ea opinio, qua quaestores non a populo sed a regibus creatos esse arbitramur, ita consulibus quoque usque ad decemviratum illam potestatem mansisse non minus veri simile est. Etenim quidquid de civilibus eius aetatis turbis compertum habemus, inde vehementi certamine opus fuisse docemur, donec de regio imperio ad consules translato aliquantulum demeretur. Quaestores autem usque ad legem Valeriam Horatiam comitiis curiatis [288]) vel centuria-

---

[287]) L. l. II, 140. annot. 1.

[288]) *Niebuhr*. l. l. I, 583; *Becker*. l. l. II, 2, 342.

tis [289]) creatos esse mera suspicio est neque ullo modo probabilior quam Taciti narratio, cui recentiore tempore *Mommsenius* [290]), *Langius* [291]), *Nipperdeius* [292]), alii fidem tribuerunt.

Deinde Tacitum, cum annum quo quaestores primum a populo creati sint accuratissime demonstret, falsum tradidisse nemo dicere ausus est. Sed mirum tamen est quod auctor noster ordine, quem Livius servat, inverso primum militares, deinde urbanos quaestores institutos esse tradit. Nam qui velut *Ernestius*, *Rubino* [293]), *Ritterus* [294]) Taciti Liviique locos inter se conciliari posse putaverit, detorsisse eos, non interpretatus esse mihi videtur. Neque vero minus temerarium est quod *Mommsenius* coniecit: „Eine weitere Beschränkung der consularischen Machtfülle war es, dass die Verwaltung der Kriegskasse zwei von der Gemeinde gewählten Zahlmeistern (quaestores) übertragen ward, die zuerst für 307“ (= 447. a. Chr.), „jedoch aus dem Adel, ernannt wurden, während die Ernennung der beiden die Stadtkasse verwaltenden Zahlmeister für jetzt noch den Consuln blieb“ [295]) — et aliquanto inferius: „Es gab damals“ (333. a. u. c. = 421. a. Chr.) „vier Quaestoren, von denen die zwei mit der Verwaltung der Stadtkasse beauftragten von den Consuln, die beiden Kriegszahlmeister von den Quartieren, alle jedoch aus dem Adel ernannt wurden. Jetzt kam die Ernennung auch jener an die patricisch-plebejische Quartierversammlung und der Consul behielt statt der Wahl nur die Wahlleitung“ [296]).

---

[289]) *Marquardt.* l. l. II, 3, 184.
[290]) L. l. I, 254. 288.
[291]) L. l. I, 280.
[292]) Ad Ann. XI, 22. p. 23.
[293]) Cf. *Becker.* l. l. II, 2. annot. 848.
[294]) Ad Ann. XI, 22. vol. II. p. 26.
[295]) L. l. I, 288.
[296]) Ib. p. 294.

Equidem quamquam ad iudicium de antiquissimo Romanorum iure publico ferendum nihil referre duco sive Livius sive Tacitus verum tradiderit, tamen, si quidem certa est Livii narratio, Tacitum hac in re erravisse concedere malo. At si quovis pretio duo illi rerum scriptores inter se conciliandi essent, numquam cum Ernestio Rubinone Rittero verba sophistarum more detorquerem, sed potius opinari mallem Tacito quoque semel id mali accidisse, ut summis ima misceret, eumque sic scribere voluisse: „creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagensimo tertio anno post Tarquinios exactos, *qui Romae curarent*. dein gliscentibus negotiis duo additi, *ut rem militarem comitarentur*“ [297]).

Quae deinceps de numero quaestorum ampliato Tacitus memoriae prodit, iam non impugnantur.

Quid igitur certi ex hac commentatione nobis lucrati esse videamur, his paucis verbis complectimur:

1. Apud nullum veterum auctorum plura quam apud Tacitum de quaestura inveniuntur.

2. Quantum de antiquissima Romanorum re publica conicere possumus, Taciti verba non pugnant cum prisco Romanorum iure publico.

3. Quae reliqui scriptores diversa a Tacito tradunt, non sunt ea quibus maiorem fidem habeamus.

---

[297]) Nil novi sub sole. Etenim scripseram iam meam dissertationem, cum mihi in manus venit *Wittichii* commentatio, quam supra annot. 223. laudavi. Ac mirum quod ille in eandem suspicionem inciderit; nec tamen ipsi Tacito sed librario eam confusionem attribuit his verbis (p. 197.): „Quis tandem ex hac sese confusione expediret, nisi liceret in illo apud Tacitum loco odorari librariorum corruptelam? Scilicet oculis non constitit in describendo librarius et ab altera in alteram male transiit lineam. Itaque textus suae ita restituatur integritati:“ etc. ut nos supra fecimus.

Neque tamen Tacitum de antiquissimis Romanorum rebus *numquam* erravisse mihi in mentem venit contendere: de iis nec plus nec minus posterioribus Romanis omnibus eum intellexisse mihi persuasum est. At si quis propterea nullam rem a veteribus rerum scriptoribus traditam probare vellet, non sano iudicio uteretur. Neque enim scio an nemo dubitet, quin illi multas res iam pridem gestas veram famam secuti rectissime rettulerint.

Valde igitur mirum mihi esse videtur, quod ipsa de quaestura Taciti narratione viri antiquitatis peritissimi adducti sunt, ut de nostri rerum scriptoris inscitia conquererentur. Ita *Niebuhrius*, ubi de quaestura agit, transeundo quasi annotat „dass Tacitus merkwürdig darthue, wie fremd ihm alle Bestimmtheit der Vorstellungen von staatsrechtlichen Verhältnissen war“ [298]). Quod suo iure Niebuhrium iudicavisse censet *Beckerus* atque addit: „je unrichtiger sich Tacitus Darstellung schon in andern Punkten erwiesen, desto gewisser wird man sich hier gegen ihn erklären müssen, wo sich die wahrscheinliche Quelle des Irrthums nachweisen lässt“ [299]). Sed quae deinde Beckerus suspicatur, nullam persuadendi vim habent. Acerbissimum vero *Schwegleri* est iudicium: „Wie sehr dem Zeitalter der Cäsarn alle Bestimmtheit der Vorstellungen über das römische Alterthum und besonders über die staatsrechtlichen Verhältnisse der alten Zeit abhanden gekommen ist, zeigt namentlich Tacitus, dessen gelegentliche antiquarische Angaben fast alle falsch, mindestens des Irrthums höchst verdächtig sind“ [300]). Inter exempla, quibus hanc tristem suam sententiam comprobare conatur, etiam quaesturae historiam nominat.

Quid de reliquis Taciti locis res antiquas spectantibus iudicandum sit, hic nolumus disceptare; sed quae de quae-

---

[298]) L. l. III. annot. 1003.

[299]) L. l. II, 2, 342.

[300]) L. l. I, 115.

stura nobis reliquit non ea sunt, ut eum priscam rei publicae Romanae formam prave percepisse merito affirmare videamur.

B.

Postquam Taciti de quaestura narrationem cum antiquissima rei publicae Romanae forma, quantum ea nobis nota est, bene congruere conati sumus demonstrare, restat altera quaestio discutienda: possitne ex scriptis veterum auctorum nobis servatis pro certo enucleari, quo ex fonte Tacitus, cum de quaestura scriberet, hauserit.

Quod si quis in nostri loci fontes inquirere cupiverit, facillime suae cupiditatis veniam a quovis impetrabit; etenim cum alia Taciti omnino propria sint, alia a reliquis scriptoribus prorsus differant, Tacitum non eosdem ac *Gracchanum Livium Dionysium Pomponium Plutarchum Cassium Dionem* secutum esse auctores apparet.

Nuperrime igitur *Frid. Dan. Sanio* [301]) Pomponii enchiridion, cuius fragmentum in digestis servatur, e Varronis libris XV de iure civili deperditis esse derivatum magna cum fiducia contendit. Atque cum in disserendo etiam de Tacito nonnumquam ei dicendum sit, nostrum quoque auctorem quidquid de antiquis rebus rettulerit Varroni debere pro certo asseverat. Sed nostram commentationem ita coerceamus oportet, ut, quo modo Sanio de quaesturae historia argumentatus sit, diligentius examinemus.

At prius quam ad id me accingam, facere non possum quin veniam eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides.

Sanio enim antiquitatum Romanarum imagines a Tacito ita adumbratas esse putat, ut eum in priscae rei publicae Romanae aut formam aut memoriam proprio ipsum studio

---

[301]) „*Varroniana* in den Schriften der römischen Juristen, vornehmlich an dem Enchiridion des Pomponius nachzuweisen versucht von *Friedr. Dan. Sanio.* Leipzig. 1867.“ p. XIII.

inquisivisse non liceat iudicare [302]), ac deinde sic pergit: „Auch hat Dirksen durch achtbare Gründe die Vermuthung unterstützt, dass Tacitus bei seinen auf altrömisches Staatsrecht und Staatsleben bezüglichen Schilderungen, die sämmtlich eine gleichmässige Farbe an sich tragen, hauptsächlich den Varro zum Führer genommen habe. 59*). Cf. Tac. ann. III, 26. 27. IV, 65. VI, 11. XI, 14. 22. XII, 24.“ In cuius sententiae testimonium vocat Dirksenii commentationem „die römisch-rechtlichen Mittheilungen in des Tacitus Geschichtsbüchern aus den Abhandlungen der Berliner Akad. hist. phil. Kl. 1860. p. 1 ff.“ Ac Dirksenium, quippe cuius nomen in illo libro saepissime offendamus, Sanio haud exigua animi voluntate auctorem coluisse videtur. Mihi quidem, ut gravia illa Dirksenii argumenta cognoscerem, curae erat. Atqui suspicionem certe Dirksenii, Tacitum quae de legibus a Romanorum regibus latis, de praefecto urbi, de quaestura tradiderit, Varroni debere, in illa commentatione inveni; sed vereor ne frustra gravia illa argumenta indagaverim: nisi forte pro talibus haec habuit Sanio: „Bei der einen von den fraglichen Mittheilungen des Tacitus, nämlich bei jener über den Ursprung und die Fortbildung der Quaestur, ist die Voraussetzung der Führerschaft Varros beinahe einer förmlichen Beweisantretung zugänglich geworden. Denn die in der neuesten Zeit angestellten schätzbaren Untersuchungen über die Geschichte des in Justinians Rechtsbüchern (Fr. 2. Dig. De orig. iur. 1. 2.) epitomirten Liber Singularis enchiridii des Pomponius“ (in annotatione haec ita explicantur: „Wir meinen die zur Zeit noch nicht veröffentlichten Forschungen Sanio's“) „dürften zu dem überzeugenden Resultate verhelfen, dass in dieser Schrift des bekannten römischen Rechtsgelehrten, eines Zeitgenossen Hadrians,

---

[302]) L. l. p. 31. 32.

der umfassendste Gebrauch gemacht worden sei von dem, auf die Geschichte der römischen Staats- und Rechtsbildung bezüglichen Inhalte der Werke Varros“ [303]). Cum his, quaeso, conferas libri a Sanione scripti recensionem in actis quae inscribuntur „*Leipziger litterarisches Centralblatt*“ [304]). Cui non ultro in mentem venit illud Horatii [305]):

„*Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter*
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.“

Nihil enim aliud reliquum est quam ut gravia Dirksenii argumenta in aestimabilibus ipsius Sanionis curis quaeramus.

Iam igitur ad ipsam rem accedamus.

Ac mirum fortasse videbitur quod *Varronem* adhuc ne uno quidem verbo attigerim. Sed Varronianos de quaestura locos de industria in alteram huius disputationis partem distuli, cum quod ad historiam quaesturae rectius intellegendam nihil inde lucramur, tum quod de Sanionis argumentatione disceptantes continuo eos memoria teneamus oportet. Nec sunt plures quam tres. Ac primus quidem hic [306]): „*Quaestores* a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt; ab his postea, qui quaestionum iudicia exercent, *Quaestores* dicti.“ Deinde in altero [307]) pridem quaestoribus quoque populi ad comitia convocandi potestatem fuisse Varro tradit eiusque rei documentum laudat „commentarium vetus anquisitionis M. Sergii Mani filii Quaestoris, qui capitis accusavit Trogum.“ Et hoc et illo loco Varronem non duos magistratus seiunctos intellexisse luce clarius apparet ex

---

[303]) *Dirksen.* l. l. p. 2.

[304]) Est in extremis numeris anni 1867.

[305]) *Hor.* Epp. II, 2, 87 sqq.

[306]) *Varro* L. L. V, 81. (ed. C. O. Müller. p. 32.)

[307]) Ibid. VI, 90—93. p. 110 sqq.

§. 93: „Sed ad comitia tum vocatur populus ideo quod *alia de causa hic magistratus* non potest exercitum urbanum convocare; censor, consul, dictator, interrex potest.“ Itaque tamquam publici accusatores tantum, neque vero tamquam aerarii administratores populum convocare quaestores poterant. Ac Varronem pro magistratu continuo atque annuo quaestores non minus habuisse quam consules et censores, tum ex his magistratibus §. 90. et §. 93. iuxta positis, tum ex ipsis commentarii illius verbis, ubi alter quaestor *collega* appellatur, apertum est. Tertio denique loco in libro XXI. antiquitatum rerum humanarum [308]), ubi magistratuum iura inter se comparat, suam manifesto aetatem spectat: „In magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum. vocationem, ut consules et ceteri, qui habent imperium: prehensionem, ut tribuni plebis et alii, qui habent viatorem: neque vocationem neque prehensionem, ut quaestores et ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem.“

Haec sunt omnia quae apud Varronem de quaestura reperiuntur. Quamquam sufficiunt ea Sanioni, ut et Tacitum et Pomponium sua quemque e Varrone sumpsisse inde comprobet. Immo ne opus quidem illi sunt omnes tres loci; primus et tertius ei satis faciunt. Quod vide ne ita fortasse recte explices, ut secundum locum ne *potuisse* quidem ad suam argumentationem ab eo adhiberi arbitreris.

Pomponius igitur suam de quaestura narrationem ex Varrone excerpsit; etenim *ut hic* — ita asseverat Sanio [309]) — in libro XXI. antiquitatum rerum humanarum „*die Quaestoren als zur dritten Klasse der Magistratus* („qui neque vocationem habent neque prensionem“) *gehörig den Consuln wie den Volkstribunen gegenüberstellt, so finden wir bei Varro-Pomponius §. 22. 23. vgl. mit §. 16 ff. 20 f. dieselbe Anordnung*“; et

---

[308]) *Varro* ap. Gell. N. A. XIII, 12.

[309]) L. l. p. 77.

paulo inferius haec Sanio dicit[310]): „Besonders wichtig ist die Wahrnehmung, dass wenn Pomponius in seiner descriptio magistratuum den Quaestoren ihre Stelle anweist nach den tribuni und aediles plebis und vor den Xviri leg. scrib., er dabei *nicht sowol die Chronologie als vielmehr die Varronische Zusammenstellung der republikanischen Magistratus* (cf. Gell. XIII, 12. 13) berücksichtigt habe.“

Videmus igitur Sanionem summis viribus obniti, ne Pomponium temporum seriem observasse fateatur; ac debet sane obniti. Nam simul atque temporum rationem a Pomponio vere exhibitam facimus, Taciti locus cum Pomponio iam nullo pacto conciliari poterit. Tacitus enim quaestores regum aetate institutos esse refert, Pomponius eos post aediles plebis nominat.

Sed quamvis repugnet Sanio, tamen *in Pomponii fragmento tempora observari* ut statuamus, et *internis* ut ita dicam et *externis* causis adigimur.

Iam enim titulo illo in digestis „*de origine iuris*“, cuius illustrandi causa ex Pomponio locus excerptus est, ad temporum rationem adducimur; et profecto Pomponius initio illius fragmenti de origine et processu iuris ita agit, ut tempora respiciat §§. 1—12. Haec prior pars inducitur his verbis: „necessarium itaque nobis videtur ipsius *iuris originem* et *processum* demonstrare.“ Quo facto ad alteram partem §. 13 sqq. accedit, quam sic exorditur: „post originem iuris et processum cognitum consequens est, ut de *magistratuum* nominibus et *origine* cognoscamus.“ Deinceps agit de regibus, tribuno celerum, consulibus, censoribus, dictatoribus, magistro equitum, tribunis plebis, aedilibus plebis, quaestoribus aerarii, quaestoribus parricidii, decemviris, tribunis militum, aedilibus curulibus, praetore urbano, praetore peregrino etc. usque ad praefectum urbi, qui tamquam suffectus magistratus ultimo loco nominatur.

---

[310]) L. l. p. 80.

Atque temporum ratio a Pomponio instituta, etsi, quod iam *Beckerus* [311]) monuit, plerumque falsa est, nulla tamen ratiocinatione prorsus tolli potest. Quid enim faciamus Pomponii verbis, quibus, *cum de singulis magistratibus loquitur,* tempora haud occulte indicat?

Tum a *Livio* eodem atque a Pomponio ordine quaestores post tribunos et aediles plebis et ante decemviros collocari iam supra cognovimus. Quem consensum memorabilem Sanio ita eludere conatur, ut ne Livium quidem putet eo quem quaestoribus tribuerit loco ipsam originem indicare [312]), sed et ipsum, sicuti „Varronem-Pomponium", consulibus et dictatoribus tribunos plebis, aediles, quaestores tamquam minores magistratus opponere voluisse [313]).

Sed missa paulisper temporum ratione, quod Pomponium *liberae rei publicae* magistratus *Varrone auctore* composuisse affirmavit Sanio, id quo modo se habeat videamus. Varro igitur appellat primum magistratus qui vocationis ius habent, consules et ceteros imperio praeditos; deinde alios prensionem habere dicit, ut tribunos plebis et eos qui viatorem habeant; denique nec vocationis nec prensionis ius esse testatur quaestoribus et reliquis qui nec lictorem nec viatorem habeant. *Triplicem hunc ordinem a Pomponio in enumerandis liberae rei publicae magistratibus spectatum esse Sanio dicit.* Itane vero? Atqui re vera Pomponius, ut Sanio laudat, §§. 16 sqq. agit de consulibus, censoribus, dictatoribus, magistro equitum; tum §. 20 sq. de tribunis et aedilibus plebis; denique §§. 22. 23. de quaestoribus aerarii et parricidii. Videntur igitur quadrare omnia; at in *triplicem* fraudem Sanio est delapsus.

Primum enim Pomponius magistratus inde a *regibus* enumerare incipit §. 14: „Quod ad magistratus attinet, initio

---

[311]) L. l. II, 2. annott. 919. 925.

[312]) L. l. p. 81.

[313]) L. l. p. 80.

civitatis huius constat reges omnem potestatem habuisse." Proxima paragrapho de tribuno celerum loquitur et Iunium Brutum, qui auctor fuerit reges eiciendi, in eo numero fuisse perhibet. Atqui reges et tribunum celerum nemo certe in *liberae rei publicae* magistratibus numerabit.

Deinde si Pomponius illum Varronis ordinem respexit, numquid post quaestores vocare potuit *decemviros, tribunos militum, aediles curules, praetorem urbanum, praetorem inter peregrinos, decemviros stlitibus iudicandis, quattuorviros, triumviros monetales etc.?* Haec intolerabilis esset farrago; tum enim hi magistratus omnes ad eos, *qui neque vocationem neque prensionem habent,* pertinerent; quod falsum esse patet.

Denique totius loci Varroniani [314]) nexu *Varronem* in divisione illa magistratuum tripartita, ut iam monuimus, *suam aetatem* spectasse manifestum est; nam nisi ita esset, quaestores tertiae magistratuum parti, qui neque vocationem neque prensionem habuerunt, certe non annumeravisset. Id ad aerarii tantum quaestores posteriorum temporum referendum est; etenim *pridem quaestores* tamquam publicos accusatores *ius vocationis habuisse* ipse Varro l. l. (L. L. VI, 90—93.) testatur.

Hac igitur ex parte Sanionis argumentatio tota vacillat et claudicat, nosque Pomponium, cum de magistratibus ageret, ad tempora animum attendisse tenemus. Ita sane Pomponius procul disiungitur a Tacito [315]); namque hic regum aetate, ille libera re publica quaestores institutos esse demonstrat. Ergo utrumque ex Varrone hausisse nequaquam licet defendere. Sed ipsum Varronem, quoniam de quaesturae origine ne ulla quidem littera apud eum invenitur, alterutri auctorem fuisse nulla ratione comprobatur.

---

[314]) Ap. Gell. N. A. XIII, 12.
[315]) Cf. *Sanio* l. l. p. 82.

Verum Sanio sic pergit: „*Für die Vermuthung Dirksen's*“ (sc. Tacitum, cum quaesturae historiam scriberet, adhibuisse Varronis locos) „*scheint besonders die Bezugnahme auf die lex curiata a L. Bruto repetita* (*welche Tacitus wahrscheinlich nur mittelbar aus Varro gekannt hat*) *und weiterhin die Zeitbestimmung* „*post Tarquinios exactos*“ *zu sprechen*“ [316]).

Quamquam nullum de lege Bruti curiata Varronis ipsius locum habemus, tamen nihilo minus illa Taciti verba ad Varronem referenda esse Sanio [317]) hos locos quasi testes excitat:

primum *Pomponii* (§. 3.): „exactis deinde regibus lege tribunicia“ et §. 15: „Iunius Brutus (tribunus celerum) auctor fuit reges eiciendi“;

deinde *Ciceronis* (de rep. II, 25.): „(L. Bruto) auctore et principe concitata civitas — exsulem et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit“;

tum *Nonii* (v. reditus p. 222. ed. Mercer.): „Omnis Tarquinios eicerent, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent“ conferendum cum *Dionys. Hal.* IV, 84. cf. 71 sqq.;

denique *Servii* (in Aen. VIII, 646.): „Brutus egit, ne in urbem reciperentur (Tarquinii) auctoritate qua plurimum poterat. Nam ut diximus Brutus tribunus celerum fuerat“ (cf. VI, 819; Cic. in Bruto 14).

Quin etiam in his locis quod vocabula *auctor* et *auctoritas* reperiantur, ipsius Varronis verba agnoscenda esse colligit Sanio.

Contra respondemus *legem* Bruti nusquam laudari nisi apud Pomponium et Tacitum. At Pomponius legem illam *tribuniciam* vocat eaque reges exactos esse solum refert; in his autem verbis nihil aliud inesse puto quam quod apud

---

[316]) L. l. p. 82 sq.

[317]) L. l. p. 53 sqq.

ipsum Pomponium (§. 15.) et reliquos quoque locos a Sanione laudatos legimus Brutum *tribunum celerum* reges expellendi exstitisse auctorem. Id unum vocabula illa *auctor* et *auctoritas* sibi volunt.

Tacitus vero non *tribuniciam* legem nominat sed *curiatam*, quam ad reges eiciendos nihil pertinuisse ex adiunctis verbis „*ab L. Bruto repetita*“ elucet. Ut igitur diversam appellationem praetermittamus, *curiatam* legem *repetitam* non aliter intellegimus quam ut consulare imperium, quod a regibus ad liberae rei publicae consules translatum erat, comitiis curiatis a populo Romano confirmatum esse atque iccirco inter consulum iura etiam quaestorum creandorum potestatem fuisse censeamus.

Itaque hac quoque in re inter Pomponium et Tacitum multum interesse nec Sanioni, ut utriusque auctorem Varronem demonstraret, contigisse comprobavimus.

Ne ego incautus, qui cum iuris consulto et eodem grammatico congredi conatus sim! Ac tamen ultimum, quo adhuc nititur Sanionis argumentatio, adminiculum labefactabimus. Contendit enim iste, quae a Varrone Tacito Pomponio de quaestorum magistratu uno bipartitove tradantur, facile inter sese conciliari nec quidquam impedire quo minus Tacitus ac Pomponius suas de quaestura narrationes Varroni debere existimentur.

Sed quoquo illorum trium scriptorum locos volveris, semper idem invenies, Varronem et Tacitum de quaestura tamquam uno eodemque magistratu loqui, Pomponium quaestores aerarii diserte a quaestoribus parricidii distinguere ac, ne ulli dubitationi locus relinquatur, singulas utrique magistratui paragraphos tribuere. Contra argutius Sanio ita interpretatur [318]): „*Wenn der Jurist die quaestores (aerarii)* „*qui pecuniae publicae praeessent*“ *und die quaestores parricidii* „*qui*

---

[318]) L. l. p. 77 sqq.

capitalibus rebus praeessent“ unterscheidet, so erscheint bei Varro in den unterstrichenen Worten[319]) *derselbe sachliche Unterschied indirect angedeutet.“* Verum hae non solum argutiae, sed mera tergiversatio: etenim Pomponius quaestores parricidii non intellegit eos qui postea quaestionum perpetuarum iudicia exercebant, sed magistratum proprium, continuum, quotannis a populo creatum; atque expresse addit: „quorum etiam meminit lex XII tabularum.“

Deinde prorsus non video, quo modo Sanio ad suam opinionem defendendam illum Varronis locum L. L. VI, 90. 91. 93. — nimirum solis numeris — laudare ausus sit. Nam hic ipse locus, ut supra iam diximus, gravissimo est documento Varronem quaesturam ab origine pro magistratu uno, qui et quaestiones capitales exerceret et aerarium administraret, eoque perpetuo et annuo habuisse.

Accedit quod Varro triumvirorum capitalium fuisse refert *conquirere maleficia,* Pomponius §. 30. de illo magistratu haec scribit: *„qui carceris custodiam haberent: ut, cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.“*

Ne multa: quae *Pomponius* de quaestura rebusque ad eam pertinentibus tradit, omnino contraria sunt iis quae ex Varrone de ea compertum habemus.

Ac *Tacito* cum Varrone hoc convenit, quod quaesturam unum magistratum fuisse et ipse existimat; id vero unum pro certo convenit. Totius enim Taciti narrationis nullum vocabulum apud Varronem invenitur; item apud Tacitum frustra investigabis quidquam eorum quae de quaestura memoriae prodidit Varro. At obiciet fortasse quispiam non refutare aut excludere sese invicem Taciti ac Varronis locos. Recte;

---

[319]) Haec autem verba illius loci Varroniani (L. L. V, 81.) lineis subductis distinxit Sanio: „Quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt, ab his postea, qui quaestionum iudicia exercent, Quaestores dicti.

sed hoc per se non satis est, ut alterum alterius auctorem usurpemus.

Huius igitur disputationis quasi fructus ita brevissime colliguntur:

1. Pomponii de quaestura verba cum Varronis aut Taciti locis nullo pacto conciliari possunt.

2. Pomponium suam de quaestura narrationem e Varrone sumpsisse pro certo negandum est.

3. Tacitum suam quaesturae historiam Varroni debere suspicari quidem licet, sed diserte confirmari non potest.

Quamvis igitur gratum atque acceptum esset auctorem, quem Tacitus cum de quaestura scriberet secutus sit, invenisse Varronem, tamen candidi iudicis esse arbitror id potius negare quam affirmare. Reliquiae enim Varronianae non praebent ansam satis firmam ut illam opinionem sobrie defendamus. Sin quis eo confugerit ut Tacitum ex deperditis Varronis libris hausisse asseveret, vereor ne in dumeta abripiatur unde vestigia retrorsum spectantia aegre inveniat.

Sunt quidem non ita pauci recentioris aetatis viri docti, qui cum nostrum scriptorem in res antiquas non ipsum proprio studio inquisivisse sed earum notitiam ex proximo quoque antiquitatum compendio sibi comparasse existiment, nullam fere Taciti excursibus fidem habeant. At certe quae de quaestura apud eum legimus ex antiquiore purioreque fonte quam ceterorum scriptorum omnium narrationes fluxisse nobis persuasum est. Sed qui fuerit ille fons, iam non indagari posse putamus.

Neque tamen sententiam tam obstinatam offirmatamque teneo quin, si continuata hac mea quaestione praesertim in iis quae ad cultum humanitatemque pertinent aliquid certi invenerim vel alii homines eruditi meliora me docuerint,

libenter eam retractem. Nunc vero finem huic libello faciam oportet, neque id aptius fieri puto quam ut Ciceronis verba (Tusc. I, 9, 17.) tamquam mea usurpem:

Ea, ut potui, explicavi, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut essent et fixa quae dixi, sed ut homunculus unus e multis, probabilia coniectura sequens. Ultra enim quo progrederer quam ut veri similia viderem non habui. Certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt et se sapientes profitentur.

INDEX.

Pag.

I. Qua doctrina exstructus rerum scriptoris munus susceperit Tacitus 1

II. Quam doctrinam Tacitus in excursu de Britannia et Hibernia Agr. 10—17. et 24. exhibeat 35

III. Quam doctrinam in libro de Germania scripto exhibeat Tacitus 50

IV. Excursus de Capitolio Hist. III, 72. 81

V. Excursus de quaestura Ann. XI, 22. 94

DE
DOCTRINA TACITI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

P. NARCISSUS LIEBERT,

O. S. B.

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

1868.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 047 750 9